



IN V. N. S. A.  
JOHANNES VON  
HEDERSDORF





~~D. K. 180~~

1) Masoch Gg.

meist 2) - 13)

dann 12) = 4)

n. 13) = 3)

n. 10) (vollst.) =

1) (unvollst.  
u. verheftet)

D. K. 180



8

# PIA ET NECES-

SARIA ADMONITIO DE CAVEN-  
DIS CRASSIS, ET PLUSQVAM  
PAPISTICIS ERRORIBVS GEOR-  
GII MAIORIS.

QVORVM HIC PLVRIMI, RECITA-  
TIS AD VERBVM PROLIXIS EIVS  
locis, diferte commonstrantur  
ac refutantur.

NIC. GALLVS:

Prædicat Iohannes futurum post reuelationem  
Bestiæ Antichristi, vt exurgat alia noua Bestia similis  
quidem illa externa specie agno, sed quæ loquatur vt  
Draco, & fabricet imaginem prioris Bestiæ, efficiatq;  
vt omnes eam adorent. Noua hæc Bestia aliud nihil  
significat, quàm seductores agnina pelle tectos, qui  
colludentes cum priore Bestia, nouos vitulos ac nouas  
Hyenas, nouum doctrinæ genus Antichristiano simi-  
limum fundat, quod ipsa re fieri nunc experimur. Ve-  
rum si quis aliud Euangelium prædicauerit, vt inquit  
Paulus, quàm nos prædicauimus, & vos accepistis,  
anathema sit, siue Maior, siue Minor, siue Angelus,  
siue Apostolus.

ANNO, M. D. LXII.

*Hobbs a Saint Germain  
vno 20. ianuarii*



Matthias Flacius Illyricus

PIA ET NECES

SARAE ADEMONTIO DE CALLE

DIS GRASSIS ET PLEVSQVAM

PAPISTICIS ERRORIBVS GEOR-

GII MAIORIS

QVORVM HOC PIZQVAM RECITA

IS AD VERBVM PROXIMIS LIVS

locis dicitur continetur

accidit

NIC. CALLE

Præter Johannem sarrum post reformationem  
Beyr. Ansb. et exurgit alia nonnulla  
etiam in partibus eius sed quæ loquuntur  
etiam in partibus eius sed quæ loquuntur  
etiam in partibus eius sed quæ loquuntur  
etiam in partibus eius sed quæ loquuntur  
etiam in partibus eius sed quæ loquuntur  
etiam in partibus eius sed quæ loquuntur  
etiam in partibus eius sed quæ loquuntur  
etiam in partibus eius sed quæ loquuntur  
etiam in partibus eius sed quæ loquuntur

ANNO M. D. LXII





**S**criptum est, certa vsq; ad mortem pro iustitia & veritate, Et Dominus erit adiutor tuus, Eccl. 4. Quod feuerissimum & longe præclarissimū Dei præceptū sūmo studio omnibus hominibus, præsertim Christianis, ante omnia vero synceris Doctoribus perpetuo considerandum, re & opere sedulo exequendum est.

Cum autem sit multiplex veritas & iustitia pro rerum ac materialium diuersitate, omnis quidem illa & in omni re à Deo venit, ei est accepta & grata eamq; ab hominibus colitur & obseruari, præcipue vero illam, de qua Christus præcipit: Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius, & reliqua vltro adijcientur vobis. Item, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

Atq; ea est Religionis veritas ac iustitia, ob cuius prædicationē, defensionem & propagationem fideles Dei ministri et Doctores omnium amplissimo nomine ac honore cōdecorantur, et in Daniele iustificatores hominum à Deo, & à filio eius lumina mundi vocantur.

Cum igitur & nos gratia Dei, non nostra aliqua dignitate aut virtute iam inde à morte Reuerendi viri Dei, D. Martini Lutheri, desperatissimis his temporibus cōtra multiplicia mendacia ac spirituales iniustitias corruptelarum & Sectarum, iustitiam ac veritatem Dei confessimus, & propugnauerimus, nec contrà desinant patroni corruptelarum adhuc eas promouere, sententias rectas, et nos earum confessores summa acerbitate cōdemnare, diris deuouere & anathematizare, necesse est inter alios strenuos fidosq; Christi milites, bene agendo nos etiam non defatigari, sed pro iustitia pugnare atq; adeo pro lege ac grege Domini constantissime depugnando animam ponere, si Domino ita visum fuerit, vitamq; hanc ab ipso acceptam in gloriam nominis eius libenter alacriterq; profundere. Dicit Ethnicus Poeta non minorem esse virtutem tueri iam parta, quam fuerit ea acquisuisse. Vanam vero Dominus Iesus aperiret oculos mētis



vis doctorū, eosq; pio zelo armaret, vt viderent quā sit extreme necesse præsens erroribus & corruptelis, veritatisq; coelestis corruptorib. & cauponatoribus, quibus omnia loca sunt referta, summa assiduitate ac seueritate repugnare.

Vix vlla est concio Christi in Euangelistis, & nulla est Epistola Pauli, in qua non oppugnentur corruptelæ & seductores, ac pusilli Christi contra eos instruantur. Et nos nunc omnes Pseudopphetas, omnes falsos fratres, omnesq; lupos, gregi Domini insidiantes vnà cum suo tenebrarum principe, extinctos esse somniamus, vt nulla sit amplius contra eos pugna opus.

Inter alios autem huius tristissimi temporis errorum & corruptelarum patronos, Maior semper fuit acerbissimus verorum ac syncerorum Christi ministrorum insectator & fædorum deliriorum pertinacissimus propugnator. Cuius corruptelas adeo euidenter Dei ope vnà cum alijs fratrib. refutauimus, vt etiam collegæ ipsius eum propterea reprehenderint, & quidam etiam ipsius scripta, errores defendentia, ne imprimerentur impedierint, & deniq; ipsemet victus omnium Ecclesiarum cōsensu, quandam cōfessiunculam, quæ esset veluti reuocatio tam tetri erroris, ediderit, sicut & nunc in noua sua infaulta præfatione scribit, se nobis in ea controversia & confessiuncula (nimirum non cōtra verbum Dei) celsisse,

Verum ille, proh dolor, nihilominus indefinenter usq; in hodiernum diem suum errorem & pertinacissime (vt ex eius quarta Postillę parte apparet) non sine atroci verborum virulentia defendit, multis nouis corruptelis eum ultra omnem modum, vt postea ostendemus, augens. Et deniq; nunc nuper impium & atrox scriptum edidit, contra nos aliosq; eum Christiane monentes, & contra omnes nostras extreme necessarias corruptelarū oppugnationes, quib. Dei mandato merito ingētes gratias pro Christiana admonitione agere debebat.



bebat. Quare prorsus necesse est, nos ei, quo veritas, hominū  
salus & gloria filij Dei retineatur ac promoueatur, compen-  
dio respondere.

Tria autem potissimum sunt acerbissimæ eius nouæ  
scriptionis capita. Primum enim breuem quidem, sed uani-  
tatis ac falsitatis plenam historiam texit de causa & origine  
certaminum Adiaphoricorum. Postea suum errorem multis  
alijs in immensum cumulatū & auctū pergit tueri ac pro-  
pagare, quantumuis dicat, se nobis in ea luce dudum cessis-  
se. Tertio & nos horrendis figmentis tum in vita, tum & in  
doctrina deformat, quo abrogata nobis omni bonorū fide  
frustra eius corruptelis resistamus, ipseque tanto facilius per-  
rumpat. De quibus capitib. & nos ei breuiter Christo bene  
fortunatē respondebimus, Primum abstergendo aut tantum  
enumerando foedissima figmenta, quibus nos sine ulla pro-  
batione infamat, & in odium omnium hominum perducere  
conatur. Deinde veram narrationem certaminum breuiter  
perstringendo, & postremo eius veteres ac nouos errores,  
indicatis scriptis ac locis ipsius, enumerando & refutando.

## MENDACIA

ET CONFICTAE CRIMINATIONES, QUIBVS  
NOS MAIOR PASSIM IN SVIS SCRIPTIS  
præsertim in Postilla, & etiam in recenti præ-  
fatione foede infamat.

**Q**uod ambitione ac studio primatus ceperimus certamē  
Adiaphoricum. Respondemus. Sæpius hoc vanissimū  
figmentum euidenter retudimus, sed cum non vereantur  
refutata conuitia repetere, & nunc breuiter idem redargu-  
emus. Falsam igitur esse hanc criminationem, inde apparet,  
Primum quod multiplicibus priuatis actionibus, admoniti-  
onibus ac precibus Philippum, Maiorem & alios, ut postea  
clarius



clarius dicemus, clam sedulo conati sumus abducere à tam  
foedo peccato, quin etiam aliquot editis scriptis, dum adhuc  
VVitteb. essemus idem egimus, præsertim vero Illyricus re-  
futando omnes conciliationes cum Pontificijs, & interea ip-  
forum nomini parcendo. Cum igitur conati simus præue-  
nire ac impedire eorum lapsum, certe per eorum peccatum ac  
ignominiam triumphare non cogitauimus.

Secundo res eorum, qui adhuc utcumq; veritati adhe-  
rebant, fuerunt tunc post publicam cladem perditissimæ ac  
desperatissimæ. Omnib. enim qui quoquomodo reluctarētur  
Interimisticis conciliationib., erat certum exitium à poten-  
tissimis Dominis, quorum solum nutum tunc orbis terrarū  
tremebat, propositū. Nulla ciuitas, nullus quantūuis potens  
gubernator audebat cōtrāvel mutire. Magdeburga quæ vna  
veritatem adhuc aperte confitebatur nobisq; refugium esse  
poterat, erat tunc iam biennio proscripta.

Omnes docti trepidabant foedissime, vt ipsorum Me-  
nius in suo scripto contra Illyricū VVitebergæ edito testa-  
tur. Non accepisset tunc Maior 1000 florenos annuatim, vt  
eò profectus fuisset & contra illa tam varia Interim scrip-  
sisset. Quid ergo opum, gloriarum ac triumphorum nos in  
illis tot & tā presentib. periculis, aut potius, vt iam cum scri-  
ptura loquamur, mortibus ex oppugnatione cessionum &  
receptionum Interim consecuturos sperare secundum car-  
nem potuimus?

Exaltatio crucis, non gloriæ aut opum, vt tota Ger-  
mania nouit, erat tunc temporis proposita omnibus quo-  
quo modo repugnantibus illis conciliationibus. Tacemus  
quod toties leuissimis & lenissimis conditionib. pacem qua-  
siuimus: Toties etiam nobis bene consciij adiudicium prouo-  
cauerimus. Loquitur ergo accusatq; nos Maior cum suæ fa-  
rinæ sodalibus contra propriam conscientiam.

Deniq; an putant nos esse planè truncos, qui non sci-  
uerimus



uerimus tum ex verbo Dei, tum & experientia mundum nō conciliari sed extreme offendi, summaq; pericula accersireprehensione errorum & corruptelarum? Vere inquit ille, veritas odium, obsequium amicos parit: Si igitur essemus mancipia glorię aut auaritię, iam dudum nos ipsa experientia periculorum & infamię de mutando nostro profu- sito & actionibus carni ac sanguini odiosis admonere potu- issent, sicut ipse Maior & multi alij, vt postea dicemus, ad la- tus nauis fœlicius sese inclinans, tua consilia actionesq; mu- tauit, & mutatus est ipse.

II Quod insidiosè in causa Adiaphorica VVitteb. egeri- mus. Nos vero ita aperte ac etiam serio, ita quoq; corām in faciem cum Philippo, Maiore, Ebero, & omnibus alijs, in re Adiaphorica egimus eosq; monuimus, & orauimus, vt omnes scirent nobis extreme displicere illas ipsorum collu- siones & conciliationes cum Antichristo.

III Quod Illyricus clam collegerit somnia & literas Phi- lippi. De hoc Illyricus ipse respondit vanissimū esse figmē- tum, cum somnia Philippus vltro omnibus obtruserit, & sparserit tanquam oracula quędam, aliqua etiam versibus conscripserit, & ediderit.

Exemplar Epistolę de Adiaphorismo & conciliationi- bus Religionis in Comitijs Augustanis Anno 1530. cuidam alteri astute præscriptum, sibi oblatum esse Illyricus dicit Anno 1558. á Martino VVolphio, qui id ab Erasmo Rein- holdo dudum dono acceperat: Et Paulo post Epistola ipsa sequetur.

III Quod perturbauerimus Ecclesiam & excitauerimus tetrum dissidium in Ecclesia. Respōdemus, contrarium esse verum, euidenter primum ex re ipsa cerni potest. Nos enim cupiuimus & laborauimus vt Ecclesia ac Religio maneret in eo statu, in quo fuerat per elapsos annos 30. viuente Luthe- ro. At illi mutata tota forma conati sunt eam ad Papatum transformare & Antichristo subijcere,

Dein-



Deinde testatus est Philippus in oratione Ifinderi, edita anno 1548. cum adhuc V Vittebergæ viueremus, Adiaphoricas cōciliationes esse ac fore pomum contentionis, tristissimasq; dissensiones excitaturas. Verba eius apponantur.

Sit igitur hæc quinta ætas, in qua DEVS Ecclesiam suam per Lutherum ad fontes reuocauit. Estq; tanta euidencia rerum, quæ patefactæ sunt, vt sani omnes fateantur doctrinam, quæ sonat in Ecclesijs nostris vocem Euangelij esse. Nam & illi ipsi qui iam nouis præstigijs eam corrumpere conantur, hoc prætextu se commendant. Res easdem se afferre dicunt, TANTVM RITVS quosdam externos pacis & concordia causa restituendos esse agnoscis vocem Adiaphorismi. Hanc γοῦρ εἰς nisi adhiberent, nemo eos audiret, sed vos, qui in studijs doctrinae verisimilini mementote custodes vos esse doctrinae coelestis, ac diligenter considerate, quod Deus nobis depositum per Prophetas, Apostolos, deniq; iam per Lutherum commendaucrit.

Si sunt res eadē, cur isti Agyrtæ turbāt Ecclesiam Dei? Si nō sunt res eadē, fateātur nos necessariam habere causam, cur eis non assentiamur (obserua quis turbet Ecclesiam, num auctores aut oppugnatores conciliationum Adiaphoricarū.

Non leuis res est mutatio doctrinae in Ecclesia, & hoc præsertim tempore (NOTA) struuntur insidiae veritati nō vulgari Sophistica. Remouētur aliqui māifesti abusus, quos excusare in hac luce Euangelij summa esset impudentia. Interea tamen retinentur nerui, quibus confirmatis, stabiliuntur ijdem abusus in alijs gentibus, & paulatim rursus occuparent animos populi in nostris Ecclesijs. Sed cum sciamus quomodo primum in Ecclesia cultus idolorum creuerit, inijs occurrendum est, vt in omni medicatione præcipitur.

Nihil astute dico, nihil seditiose, sed moneo vt necesse est, vt puritatem doctrinae bona conscientia tueamur, pro-



ter gloriam Dei, propter salutem ecclesiæ, & propter nostram inuocationem, dent veniam nobis homines prophani, qui ignorant conscientiaë dolores, si non volumus approbatione errorum fauciare conscientias nostras, quia talia vulnera non facile medicabilia sunt &c.

Item aliquanto post, ubi de hoc ipso **POMO CONTENTIONIS** pugnari inter se docti ceperint, nouæ diffensiones & aliæ dogmatum deprauationes orientur. En habes ipsorum proprii oris testimonium, quo cõfitentur suum Adiphorismum esse pomum contentionis omnesq; horrantur, vt ei repugnent.

Tertio nos semper pacem & transactionem tum amicis actionibus, tum & Disputatione quæsiuimus, ipsi nunquam. Testes sunt Superintendentes Saxonici, Actio Cosuicensis, Actio Mechelburgensis, Actio Principis V Volfgangi Anhaltini, & Vngnadij, Actio. D. Gasparis à Nidbruck & aliorum: Tot deniq; nostræ prouocationes & Supplicationes publice editæ.

V. De suo Maiorismo aut errore necessitatis operum ad salutem scribit, nos ei illud certamen mouisse. O veracitatem ac modestiam. Imò ipse id bellum mouit Ecclesiæ Anno 1552. diris insuper anathematibus deuouens etiam angelos in cœlo, si aliud doceant, vt postea locum citabimus. Cum quidem sciret, eum errorem à Luthero in publica Disputatione & mutatione commentariorum Philippi, super .i. Tim. condemnasse, quod negare nõ potest. Quod si negauerit, euidenter refutari potest: Et tamen oues lupo aquam perturbasse accusantur.

VI. Dicit esse veterem cõtentionem, *Ein alten zanc?* vt Germanicus eius textus habet, item se nobis celsisse, se in sua confessiuncula promississe silentium &c.

Respondemus, quòd non sit vetus lis, & quòd ipse perpetuo eum errorem ab eo tempore vehementissime vserit, contra propriam promissionem publico scripto Ecclesia Dei

B.

factam.



factam, abunde testatur vel sola eius tertia & quarta Postillæ pars, ex qua postea in tertia huius responsionis parte prolixa loca citabimus:

Obserua autem diligenter Christiane lector, quàm veracis ac synceri Theologi hoc factū sit, quòd cum fuerit deprehensus in manifesto errore, & à tot synceris Iesu Christi concionatoribus Saxonis, Mansfeldicis & alijs refutatus sit, cesseritq; monitoribus, & addita qualicunq; declaratione publico scripto toti Ecclesiæ Dei promiserit silentium, ac omissionem eius erroris, tamen protinus ad vomitum redijt, magisq; eum errorem tueri, & crudelius petulantiusq; suos monitores lacerare quàm vnquam antea incepit, quemadmodū id etiam in sua ista noua præfatione iam facit, & paulo antè in quarta parte Postillæ fecit.

Nec ipse solus id pro se facit, sed & Schola VVitteber. iam eò proruisse videtur: Nam in proxima verna promotione, quidam Magister mox postquam publice & solenniter iurasset, se veram doctrinam Ecclesiæ sincere retenturū & propagaturum, ac de rebus controuersijsq; propositis cãdide & sine sophistica disputaturum, hisce verbis, (proculdubio non sine Scholæ approbatione) accusat nos de oppugnato Maiorismo, eumq; ipse errorem asserit audacter.

Magna, inquit, causa est, & magno conatu annos aliquot iam acta & agitata. Et (vt haud dubie meministis) non solum à patronis & defensoribus varijs propugnata, sed etiam (quod in MENDACIIS necesse est fieri) pharmacis dissimilibus ijsq; omnibus *νοσθεοϊσ* & noxijs curata ac medicata. Nec enim satis fuit *πρωταγωγισαισ* certaminū, NECESSITATEM nouæ OBEDIENTIAE qualicunq; prætextu asserendę SALVTIS renatorum, subdole tollere & negare, nisi & hoc adiecissent, &c.



ET paulo post asserit, tam esse necessariam nouam obedientiam ad salutem, pariq; ratione eam flagitari in Scriptura, qua flagitantur & necessariae sunt, precedentes conditiones contritionis, fidei, aut conuersionis, tametsi miris ac malitiosis technis sermonem suum inuoluat, & uirus occultet.

Nec id fuit satis illi iurato testi, mox etiam tetrius mendacium contra nos effutijt, affirmando in tanta pompa, & postea imprimendo, Nos docere hominem renatum nihil agere boni, esse truncum ac saxum, & tantū repugnare Deo, quod de nobis in æternum nō probabit. Verba eius sequuntur.

Alij ut efficacius hoc ipsum seu anteuertant seu prohibeant, IAM IN TRUNCOS, iam in HOSTES DEI, acerrime Deo repugnantes, CONVERSOS et RENATOS immutant, qui libere NEC OBEDIRE DEO possint, nec si POSSINT VELINT: Sed partim ut TRUNCI, partim ut HOSTES repugnantes ad Dei arbitrium FINGANTUR & formentur.

Taceo iam quod nos malitiose commiscet cum Antinomis, & alienas disputationes nobis tribuit, de quibus appellet suos authores.

Ex his uero manifestum est, quā uere Maioristæ de suo errore cesserint & silentiū publico scripto Ecclesiae Dei promissum praestent. Quid autem prodest tam foedis mendacij Ecclesiam Dei perturbare & conscientias illaqueare? Sed pergamus figmenta Maioris recensere, quibus nos ita conspurcat.

IX Quod negemus omnē necessitatem operū, plus cecies in suis Homel: affirmat, quod nunquam nec per somnium quidem nobis in mentem uenit, nec ab isto criminatore unquam de nobis probabitur. Quid autem potest excogitari tetrius, quā tam foeda adeo audacter & tam crebro contra propriā conscientiam de synceris Christi ministris adstruere.

B 2

Quod



X. Quòd doceamus saluari & Deo acceptos esse eos, qui perseuerent in omni turpitudine & voluntarijs peccatis. Verba eius sunt hæc. Neq; ab hoc cursu & militia furiosorum hominum clamores nos retrahere debent, qui vociferantur vocatis in stadium Christi & Ecclesiæ, non opus esse ad messem & coronam vitæ æternæ gratis propositam, consequendam, facere sementem, aut aliquo cursu seu militia, sed hoc pretiosissimū præmium & βραβεῖον contingere etiam ignavis, desidibus, otio & voluptatibus deditis, sponsis Penelopes Alcinoisq;, & ijs qui curios simulant & bachanalia viuunt, quæ gratissima cōcio & cantilena Epicuræis & Cyrceis porcis est. Vbi vnquam tam fæda nos docuimus aut saltem somniauimus? Si Maior micam honestatis in corde suo habet, prodeat ac probet indicato libro & loco.

XI. Quòd dicamus Maiorem operum merito salutem tribuere: Nunquam id fecimus, sed ostendimus eam nihilominus esse naturam verborum, quibus initio suum errorem in Ecclesiam Dei sparsit, vt meritum quoq; completi videatur, & homines naturaliter eam sic intelligant, licet ille sese aliter declaret.

XII. Quòd dicamus homines saluari sine contritione & conuersione, quod nunquam docuimus, nec ipse id de nobis probare poterit.

XIII. Quòd doceamus expectandum esse, donec repugnanti & aduersanti inimico Dei nouæ lucis & vitæ impressio fiat diuinitus 4. parte Homel. Fol. 181. 213. Nos vero contra dicimus eum debere, adire templum, audire, legere, meditari verbum Dei, & tūc Deum per auditum fidem in corde eius excitaturum esse, non ipsum suo eam arbitrio sibi genituum.

XIIII. Quòd doceamus, bona opera non solum non necessaria, sed etiam perniciosa esse saluandis, 4. parte Homel. Fol. 202 & c. Et quidem id nominatim Illyrico obijcit Folio 217. Nunquam id docuimus, si quis id fecit accuset eum omisis



omissis nobis. Cur id de nobis sine omni fronte fingere au-  
det, quod nunquam probare poterit?

XV. Quòd dicamus & doceamus non tantum carnales  
homines, sed & renatos meros truncos esse, in 4. parte Postil.  
Fol. 213. & in edita quæstione vernæ promotionis Magist.  
Nunquã tale quicquam de renatis aut conuersis docuimus.

XVI. Quòd sanctificationem & regenerationem ex sa-  
lute & vera pietate excludamus, in 4. parte Hom. fo. 377. 362.

XVII. Quòd immutauit suam propositionem, in varias  
alias, Vt bona opera saluandis sunt necessaria, Fol. 216. 217. &  
alias plures sibi plausibiliores, & fingit de illis certamen esse.  
De quibus postea in tertia parte, cum de eius errore agetur,  
ei respondebimus:

XVIII. Quòd de lege interpretatur suam propositionē,  
ac cōtendit nos vim legis extenuare, dū eius errorē negamus.

XIX. Quòd doceamus, legem è templis in curias rele-  
gandam esse, quod est falsissimum.

XX. Vociferatur passim in omnib. suis scriptis, Illyricū  
esse hominem perditum, vanum & sceleratū, prostituisse eum  
suam animam & salutem omnib. Diabolis. Bona verba D.  
Doct̃or. Tu quis es, qui iudicas seruum alienū? Nos hactē-  
nus nihil dicere voluimus, de moribus, vita ac conscientia ip-  
sius, sed tantū de ipso dogmate & controuersia disseruimus.  
Sed tamen si quis omnino etiam eam partem attingere vellet,  
non difficulter hæc tam tetra ex tot eius erroribus, vt nunc  
alia taceamus, in eum retorquere posset. Et sanè si perrexerit  
tam rabiosis cōuitijs esse molestus, omnino id suo tēpore fiet.

XXI. Quòd ipse ac alij Adiaphoristæ nec latum qui-  
dem pilum á doctrina Lutheri discesserint, quantumuis Fla-  
ciani contraria de ipsis affirmant. De hoc respondebitur ei  
abunde in fine.

XXII. Quòd doceamus bona opera esse facienda *für die  
lange weil*, fallendi temporis gratia. Obiecerunt id Cōcio-  
natorib. Comitatus Mansfeld. sed redarguerunt illi eos pub-  
lico scripto.



**XXIII** Vanissimum figmentū eorū de **LOGO** abunde est refutatum, in quo fuerunt tam cupidi mentiendi, & tam audaces, vt eos quoq; ausi sint pro testibus citare, qui eos publico testimonio redarguerunt, nempe **D. D. Ioach. Morlinum & V Vernerum.**

Accusat acerbissime Saxones quòd proxime in Lüneburgensi scripto sibi obiecerint, quòd asserat homines saluari merito bonorum operum, & atrociter exigit reuocationem. Tale vero nihil in eo scripto reperitur. Figmentum ergo vanissimum est, studio excogitatum ad pragrauādos illos pios Euangelij precones, & vt bonus Maior non necesse habeat ad rem respondere. Obserua autem quòd petat de tali suo figmento reuocationem, cum ipse manifeste conuictus, suos pestilentes errores reuocare nolit:

**XXV** Subinde nobis obijcit Antinomiam, nosq; cum Antinomis Islebio & similibus commiscet, quia docemus Christum venisse, vt peccatores a lege damnatos & qui non aliquā eximiā obedientiam, sed extremā inobediētiā legis habēt, saluaret. At qui hæc est vis Christi & Euāgelij, vt sic legē abroget, & miseros peccatores ab eius duro dominio liberet.

At si nos vellemus vicissim ei Antinomiā obijcere, quāto id verius facere possemus? Nam primum in eo est Antinomus, quod proprium legis, nempe prædicationē pœnitentiæ ex lege in Euangelium, tuendo istam impropriam definitionem vt propriam, transfert.

Secundo est Antinomus, quia tales cū suis Adiaphoristis discipulos efficit, format & esse iubet, vt ne seuerius ac grauius iram Dei concionentur, sed placide tantum Euangelizent, & peccata vix solū in genere mollissime perstringāt.

Tertio est Antinomus, quia Adiaphorismum approbavit & promouit, vbi tota doctrina Christi, tota Religio est cum abominationibus Antichristi conformata, & fermē mera Adiaphora ex verbo Dei facta.

Quarto ideo est Antinomus cum plurimis sui similibus, quia primæ tabulæ peccata, præsertim autē primi præ-



cepti, frigidissime attingunt.

Cum enim tot nunc corruptelæ Religionis fœde per Ecclesiam DEi grassentur, isti fidi uigiles gregis DOMINI tantum de secundæ tabulæ peccatis declamitant, aut etiam si quando lupos & seductores truci clamore adoriuntur, tum id tantum faciunt in illis dudum victis, fugatis & sepultis, Arrio, Manichæis & similibus, à quibus non multum periculi superest Ecclesiæ, ipsis uero (quod maxime spectant) planè nihil metus, illos aliquando mordent, lacerant & contcindunt, sicut Græci Hæctorem mortuum iaculis conficiebant.

Deniq; Antinomus est, quia dum necessitatem obedientiæ legis contra nos asserere velle se affirmat, tantum dicit bona opera esse necessaria ad salutem, non satis exprimens vim legis, quæ totam perfectissimamq; obedientiam seuerissime exigit. Dilige Deum ex toto corde &c. Urget igitur talem obedientiæ necessitatē ad salutem, quæ neq; legalis, neq; Euangelica vere est, sed Antinomicum figmentum capitis ipsius. Tacemus eorum amicitiam cum Antinomis, qui Islebiū nō ita pridē amice & honorifice VVit. splendidis ac solennibus conuiujs ac deductionib. tractarunt.

36 Clamat, sicut & præfatio corporis doctrinæ, nos oppugnasse Scholas & Ecclesias Misnicas & conatos esse delere. Quod figmentum sæpius publice refutauimus, nec ab istis vnquam probari potuit aut poterit, singulos enim tantum corruptelarum patronos, non totas Ecclesias oppugnauimus, in ipsa Misnicæ Ecclesiæ acerrime sese Maioristicis & Adiaphoricis corruptelis opposuerūt, vt alibi ostensum est. Quare ipsemet dum oppugnatores corruptelarum adeo atrociter damnat, Misnicas Ecclesias damnat.

XXVII Quòd totā Ecclesiā Catholicā ad nos locaq; vbi nos simus, alligare conemur. Nos vero nullā alligationē ad vllas personas vnquā tentauimus, nec aliā scimus præter illā, quæ est in vnitatis doctrinæ, cōfessionis ac Spiritus: Vbi necesse est omnes veros Christianos sibi inuicē, & vni corpori Christi conjunctos esse, sicut plura membra eiusdem



corporis, ita vt is qui est in Occidente adiunctum se statuat ei qui est in Oriente & vicissim, & alterutro aliquid iniuste patiente, aut veritatem confitente, & errores oppugnate, alter teneatur ei omni conatu ferre auxilium. Hęc coniunctionem Christi membrorum si quis non agnoscit, ipse Christi membrum non est. Contrā vero quā facile esset probare Adiaphoristas ipsos re vera Pontificiam quandam tyrannidem sibi super omnes vsurpare: Nam vt alia omittamus, cōsideretur vel illud tantum, quod & totā Religiōem omnesq; Ecclesias inuitas mox à Lutheri morte per suum Adiaphorismum euertere voluerūt: Et quod postea suum quoddam corpus doctrinæ tanta seueritate & imperiositate Ecclesijs obtruserunt, vt nulli prorsus de eo quicquam dubitare aut monere liceat, sed perinde ac si sacra Biblia essent citra omnē dubitationem accipi probariq; debeat: Cum de omnium Patrum scriptis in Ecclesia semper ius ac fas dubitare fuerit. Quod si qui vel leuiter de eo hæsitauerunt, suasq; conscientias ista obtrusione noui codicis non grauari supplicauerunt, mox atrox persecutio & crudelia exilia eos oppresserunt, vt exemplum sub bonis Schonbergensibus liquido testatur.

XXVIII. Quod omnia quæ à nobis inuenta approbataue nō sint, cōtemnamus ac damnemus. Falsum est quod vnamquam quæ recta sanaq; fuerunt, ob authorem improbauerimus aut postulauerimus, vt pro irritis habeantur.

XXIX. Quod Politicis negotijs ac consilijs nos admiscuerimus, vanissimum figmentum est, nomet ista politica negotia ac consilia, quibus nos immiscuerimus: aut omnibus apparebit, eum esse insignem mendaciorum architectū.

XXX. Quod Ecclesias in quibus vixerimus, Sophistica, calumnijs, mendacijs, criminationibus & logomachijs aut verborum rixis perturbauerimus, quod itidem vanissimum figmentum est. Ostendat & clare refutet istas nostras calumnias, mēdacia, criminationes & logomachias, si quas proferre potest.

Quin.



**XXXI** Quin & sanguinem nostrum sitiens, incitat in nos potentum gladios, dictitans nos eorum consultationes de Religione repræhendere &c. Monstret diserte si potest, nos vnquam vllius potentis pias consultationes repræhendisse, aut eis repugnasse: Quod si ea agimus & dicimus quæ verbo Dei perspicue comprobantur, citra respectum personarum vt in refutatione variorum Interim, cur id quod Deus à nobis seuerissime flagitat, ille repræhendere audeat, & nostram vitam ac sanguinem sitiens magnates cōtra nos instigat? Sed ille eiq; similes cōtra malunt aularum Interimisticis inuentis blandiundo munera captare.

**XXXII** Nos summam operam dare vociferatur vt vel principes inter sese, vel florentes Respubli. cōtra Principes impellamus: Increpet te Dominus Satan, quando vnquam hoc egimus, aut in qua tandem re, cur non clare ac diserte indicas crimen, quōiam semel cruenti accusatoris personam in te recepisti? sed solet id à calumniatoribus fieri, vbi eis probationes & veritas desunt.

**XXXIII** Audet etiam in ista proxima præfatione negare se vnquam docuisse adeo esse opera necessaria ad salutem, vt per fidem sine illis planè impossibile sit quenquam seruari. Verba eius, quæ sibi à Saxonibus obiecta esse dicit, adscribam.

*Das gute werck zur Seligkeit von nöten sein/ Also das durch den Glauben one gute werck selig zu werden ganz vnmüglich sey.* At certe in suo libro contra D. Ambsdorff. 1552. edito Tern. C. quem locum postea citabimus, de credente loquens, clare ac expresse dicit.

*Das gute werck zur Seligkeit nötig sein/ Vnd das vnmüglich sey das ein Mensch one gute werck selig werde.* Loquitur autem de credente tum in præcedentibus, & in sequentibus, vt supra monui.

Proinde non videmus, qua fronte aut conscientia id adeo audacter negare ausit, nisi quod ille nihil non audeat.

Sed obserua hic Christiane lector, illud quoq; figmen-

C. tum



tam & imposturā istius hominis, quod calumniandi causā interferit eorum propositioni voces, *durch den glarben* / quae à Saxonis cōcionatorib. in ipsorū scripto positae nō sunt. Nā eorū sententia errorē Maioris exprimēs, simpliciter ita habet.

*Dargegen aber Doctor Maior dise rede gefüret / das gute werck vonnöten sein zur seligkeit / Vñ ganz un möglich sey / on gute werck selig zu werden.* Obserua igitur Christiane lector hoc præclarum artificium tam synceri & eximij D. Doctoris. Quid enim certae disputationis contra tā effrontē Sophistā cōstitui potest? Sed talib. artificijs solet iste bonus vir veritatem controuersiae inuoluere ac perturbare.

**XXXIII** In fine tertie partis suae Postillae calūniatur nos audacissime, quia dicamus verbum Dei esse obscurum, ambiguum, & quod intelligi nequeat. Vide Christiane frater hominis extremā audaciā & diabolicū artificium. Quae nos naturae veteris Adami cœcitati adscribimus, ea ille fingit nos ipsi verbo Dei tribuere, perinde ac si diceremus aliquē esse adeo cœcum, vt nec solem quidem ipsum cernere queat, & ille fingeret nos dicere solem adeo esse obscurum aut minutum quoddam obiectum, vt cerni nō queat. Sic oportet in Ecclesia Dei versari Theologos, & proposita dubia ac controuersias explicare: Deus perdat istas linguas dolosas, mendaces & calūniosas. Hinc cognoscatur iste bonus vir tanquam iex vnguibus leo.

**XXXV** In præfatione Corporis doctrinae, dum cupiunt nos foedissime deformare, turpissime sibi met contradicunt, suaq; mendacia in nos conficta redarguunt. Clare enim confitentur, nos eandem prorsus cum ipsis doctrinam profiteri, nosq; putare, quod graues causas contra eos pugnandi habeamus. Hæc enim sunt posterioris sententiae verba in Germanico: *Geliche als Illyricus vnd Gallus / meinen das sie haben VOTRE sachen wider Mich.*

Hæc duo eximia testimonia cum nobis tribuant, nempe veritatem doctrinae, & qui putemus nos habere graues causas pugnandi contra ipsos, paulo post, manifeste sibi contradicentes, nobis error s in doctrina tribuunt, & clamāt nos



mera petulātia & pessimo studio evertendi illas Ecclesias op-  
pugnare. Qui putat se habere necessarias causas aliquid agen-  
di aut aliquem oppugnandi, is nequaquā ex mera petulantia  
agit. Nam qui mera petulantia peccat, is scit se nullas iustas  
causas sui prauī conatus habere, & tamē pergit agere, q̄ ei se-  
mel collibuit. Ita prę studio obruēdi nos mēdacijs nesciūt qu-  
id agāt, sed semetiplos in paucis lineis palpabiliter redarguūt.

Sic quoq; proximē ediderunt in nos famosam picturā  
equitantis in hirco, vnā cū duobus Epigrammatis, in quorū  
priori dicunt Illyricum dira pręlia Christo mouere. In po-  
steriore autem affirmant, eum tantū de lana caprina litigare.  
In quo manifestē semet mendacij redarguunt. Nā dira pręlia  
mouere Christo, est graues errores cōtrā eum ac veram Re-  
ligionem excitare ac tueri. At contrā de lana caprina litigare,  
est de re vili ac nihili contendere. Nec tantum sibi met cōtra-  
dicunt, sed etiam seiplos grauisimē condemnant. Si enim Il-  
lyricus tantum de nugis cœpit litigare, cur ipsi cū tantis scā-  
dalis ac turbis tot & tam atrocias scripta cōtra Illyricū & nos  
alios effuderunt? Cū de lana caprina, id est, re nihili litigatur  
vtraq; pars est graui reprehensione digna, qui de tam friuo-  
lis nugis litigando, Ecclesiam & conscientias perturbant.

**XXXVI** Deniq; non obscure indicat Maior, quid nam  
illud sit, quod eū maxime in nostris actionibus cruciet, nem-  
pe quia ipsum & alios corruptelarū patronos ad synodū & di-  
sputationē, aut quamcunq; legitimā Ecclesię dijudicationē  
prouocauerimus. Male enim sibi cōscijs scit se ibi cōsistere  
non posse, ideo lucem fugit, sed prodeat aliquando tandem  
vnā cū suis sodalibus, & suas corruptelas & horrendas cri-  
minationes in tali syncerorum Doctorum iudicio tueatur.

Verū iste bonus calūniarū artifex dissimulato suo alto vul-  
nere ac dolore, q̄ ei & cōplicib. suis per tales prouocationes  
ad legitima iudicia infixū est, fingit duas alias calūnias: Dicit  
nos prouocare tantū ad nostrę farinae homines, à quibus in  
iudicio applausum expectemus. Quod figmentū manifeste  
nostrę supplicationes redarguunt, quę petunt conuocari.



omnes synceros Augustanae Cōfessionis doctores. Quod si ipse & eius Sodales ab Augustana Confessione ad aliquos Sectarios defecerūt, tum sanè semetiplos ex synceris Ecclesijs earum Synodo & Iure iudicandi excluderunt.

Altera impura calumnia est, quòd negemus Principes ac gubernatores sele quicquā debere immiscere in controversias, quæ iam inter doctores agitantur. Atqui nos contra nostras supplicationes de Synodo potissimum ad Principes & gubernatores direximus, suppliciter petentes, vt Synodum congregent, ei intersint, atq; adeo præsideant, quæ omnia expresse prolixèq; in nostro supplicatorio libello dicuntur: Quæ ergo est ista impudentissima impudentia dicere nos negare, licere se magnatibus præsentibus Religionis controversijs admiscere? Ideo manifesti & palpabilis mendacij ac calumniæ clare Maior hic quoq; conuincitur.

Atq; hæc nunc dixisse sufficiat de prima nostræ respōsionis parte, in qua complures falsæ Maioris contra nos criminationes, quibus & contra omne ius ac fas impie ac impudenter nos onerat & infamat, recitantur ac refutatur, postea per occasionem etiam de pluribus dicetur.

## PARS SECVNDA:

**I**AM secundam partem in nomine Domini inchoabimus, in qua breuiter recensēbimus historiā certaminum Adiphoricorū, quoniam Maior in sua ista præfaciuncula, & lectores V Vittebergenfes in suis actis adeo malitiose nos eo nomine accusant & infamant, nulla penitus veritatis ratione habita.

Notum est hominibus rerum & actionum & personarum gnaris, Philippum semper cupiuisse conatumq; esse instituere impias & noxias conciliationes ac pacificatiōes nostrarum Ecclesiarum & Religionis cum Antichristianis. Testantur id abunde epistolę Lutheri piæ memoriæ, seorsim in octauo



octavo editæ, quibus eum id agentem ac conantem Auguste  
in Comitij Imperij Anno 1530. absterruit ac repressit. Te-  
statur idē Sleidani Historia, Item Epistola ad Carolouicium:  
Denique id testatur proprij eius chirographi Epistola aliq̃  
prescripta, ipso viuo & non negante Ienæ edita, quam am-  
plioris fidei gratia, integre adiiciemus.

## EPISTOLA PHI-

LIPPI, QVAM AVGVSTAE ANNO  
M.D.XXX. Noribergam alterius nomine de suis Adiapho-  
ricis actionibus scripsit, ex eius proprio chirographo de-  
scripta. Vnde de eius perpetua sententia, voluntate, conatu  
& malis artibus in istis conciliationibus Belial,  
iudicari potest.

**S**Cis institutum esse Colloquium de dirimendis contro-  
uersijs Religionis. Mitto igitur tibi vtriusq; partis scri-  
pta, ex quibus historiam eius Colloquij magna ex parte  
cognosces, videbis etiam quantum aduersarijs nostri puta-  
uerint concedendum esse. Et his consilijs scio Philippū vsum  
esse, non tam METV periculi, ac publici motus, quā quod  
PERPETVO ITA SENSIT, prodesse ad posteritatem, ne  
dissoluator prorsus Ecclesiastica politia.

¶ Vide Philippi sapientiam, perpetuo sensit Papisti-  
cam aut Spiritualium Tyrannidem, quam Lutherus con-  
uulserat, conseruandam esse. Quis autem lupis domiantibus  
aut pascentibus, dubitat de ouium salute?

Et habet huius opinionis suæ non solum rationes ma-  
gnas, sed & grauisimos authores. Scio diligenter hanc rem  
à Duce Saxonie deliberatam esse ante conuentum.

¶ Saxo & Lutherus sunt causa leuitatis & Adiaphoris-  
mi Philippi scz.

Quare quicquid adhuc aduersarijs hic cōcesit, arbitror  
eum



enim de Lutheri & aliorum prudentium sententia concessisse.  
Certe has condiciones non hic prescripsit solus.

¶ Arbitratur de Lutheri sententia factum. In autographo deletus paragraphus simpliciter affirmat. Sed contra vide impressas epistolas Lutheri tunc de hac re ad Philippum scriptas, hinc cognosces hominis ingenium.

Quare miror tam iniquos de eo sermones spargi apud vos, quod parum constanter defenderit has partes, & quod gratiam apud aduersarios inire cupiat. Meo iudicio preclare nobiscum ageretur, si pacem REDIMERE his conditionibus possemus.

¶ O redemptores, non est nostrum prodendo veritatem redimere pacem a persecutoribus aut liberatione a cruce, sed Christus rex noster est orandus, ut pugnet pro nobis & conterat caput mendacis & homicidæ serpentis,

Infinitem bellum erit & huic toti Imperio exitiale, si res ad arma deducetur.

¶ Cœlum ruet si Christus non abnegabitur ac extra fines Cadarenorum ablegabitur, & contra Antichristus cedendo placabitur. Lutherus ei tunc plane Theologice scripsit: Nostrium est confiteri, non divinare bella futura.

Quare ignosci debet his qui videntur esse cupidiores pacis. Et tamen Philippus etiam alijs rationibus mouetur, quare restitutam Episcoporum auctoritatem velit:

¶ Pro luporum Episcoporum dignitate, aut potius Tyrannide semper pugnavit ille homo.

Etiamsi omnia tranquilla erunt, tamen mira DISSIPATIO ERIT ECCLESiarVM ad posteritatem, nisi iterum iam coniungantur & habeant certos Episcopos, qui COGANTVR diligentius curare Ecclesias, quam olim curauerint.

¶ Adiphoristæ, qui in Lipsica actione crediderunt & statibus eius Electoratus persuadere voluerunt Episcopos fore bonos, istos lupos mirifica omnipotentia in oves metamorphizabunt.



Hæc atq; alia multa in hanc sententiam audiui nostros sepe disputare, quæ duxi tibi (scz tanquã oracula Apollinis) perscribenda esse, vt de his rebus istic melius deliberare possitis, si has condiciones Episcopi acceperint, quanquam nostri affirmant Episcopos nullo modo accepturos esse, &c.

Sleidanus de eius temporis historia hæc etiam verba ponit. Saxones aliquanto plus erant largiti &c. sed Philippo fuit iniunctũ, ne quid AMPLIUS cõcederet. Hæc de perpetua Philippi sententia & animo in instituendis conciliationibus Christi & Belial. Nunc ad institutã Adiaphorismi narrationem.

Notum est etiam toti Germaniæ, in quam tristem cribrationem Satan Deus Ecclesias nostras post infœlix bellũ protestantium deduxerat. Nam præterquam quod erãt omnino humano præsidio spoliata, proponebatur eis à Papistis tunc victoribus, potentibus ac florentibus liber Interim, reuera totũ Papatũ cõtinens, additis longe seuerissimis mandatis, vt id omnes quamprimum acciperet & in suis templis erigerent, additis etiam atrocibus minis, si quis contra eũ librum eiusue qualemcũq; acceptionem aut institutionẽ vel mutire auderet. Passim igitur per totam Germaniam, subito aut accipiebãt tota ea nostræ Religionis deformatio, vel potius euersio, aut certe aliquid simile tentabatur. Nã aliqui partes, aut initia eius formulæ instituebant, donec paulatim emollita plebe tota ea formula erigi constituiq; posset, sicut pleriq; omnes id Monarchis & toti Imperio grauissime promiserant.

Quantus ibi & quã teter metus ac trepidatio fuerit in omnium pectoribus, non tantum concionatorũ ac doctorũ, sed etiam potentũ, satis cum memoria omnium qui tunc maturæ ætatis in Germania fuerunt & adhuc viuunt, tum Meinius in suo libro V Vitteber. anno 1557 edito, vt & supra indicauimus, testatur.

NOB



Non audebant tunc VVittebergenses aut Lipsenses vel vnicam pagellam ibi contra edere, imò nec scribere quidem, vt saltem alibi ederetur.

Quædam clam soli Principi id mandanti de Interim scripserant, quæ sine eorum mandato occulte à quibusdam lectoribus impetrata Illyricus adhuc VVittebergæ agens Magdeburgæ edi curauit, ne pij prorsus omni admonitione ac instructiõne de tam malo ac noxio libro carerent, quod ex ipsorum proprijs actis constat.

Verum paulo post sapientum ac potentum minis, promissionibus, ac præmijs vel emolliti vel etiam fracti, ceperunt & ipsi illas horrendas nostræ Religionis Ecclesiarumq; deformationes & cum Antichristo conciliationes promouere.

Volitabant igitur per totam Germaniam consilia, Epistolæ & alia scripta eorum, præsertim autem Philippi, quibus suadebantur illæ impiæ conciliationes, celsiones & mutationes Religiois, quibus pleriq; omnes assentiebantur. Qui vero reclamabant, mox ignominiose ex suis Ecclesijs & officijs in exilium proturbabantur, suadente plerumq; & probante eodem.

Omnia igitur feruebat instauratione Pontificiæ impietatis, vbiq; sincera Religio Ecclesiæq; euertebantur, vbiq; pij tristi mœrore ac desperatione consumebantur ac excarnificabantur, nec aliud habebant consilij aut opis, nisi quòd multi orabant Deum, vt aliquem excitaret, qui illis Satanæ furoribus sese opponeret.

Pleriq; tamen mutaturientes Religionem adhuc passim respiciebant in VVittebergenses & Lipsenses Doctores, vbi magna vi & à magnis artificibus, innumeris conuenticulis eudebatur nouum quoddam Interim, Quare tum exemplum illarum Ecclesiarum tamq; celebrium Doctorum, tum & artificiosissimam formulam videre percipiebant, vt tam insigne exemplum & prudens artificium in suis deformationibus.



onibus imitarentur, eorūq; autoritate reclamantis vulgi cōstantiam frangeret.

Prodiit igitur tandē sollemnissimeq; promulgata est illa hyena & aureus vitulus, in celeberrimo totius Electoratus cōuentu Lipsiæ, initio anni 1549, cui quidem tum Ecclesiæ eius regionis, legationes ciuitatū, & tota nobilitas acerrimē cōtradixerunt, quod etiam tum impressionem, tum & erectionem ac adorationem eius idoli nonnihil repressit. Accessit & constantia quorundam doctorū resistentium, vt Torgensium ac Zuuickauiensium, qui sese eis corruptelis opposuerūt, qui etiam carceres, longissimā captiuitatem & exilia propterea perpessi sunt.

Quomodo porrò nos, in illis tristissimis conciliationibus & mutationibus affecti fuerimus, & quā egrē eas deformationes ruinaq; Ecclesiarum nostrarum tulerimus, pluri mi ac fide digni optimē norunt & euidentia indicia testari possunt. Nam & ego vnā cum collegis, mea hinc functione potius cedere & in exilium abire volui, quā quicquam eorum comprobare, cum quidem mihi adhuc prorsus non cōstaret, quidnam VVittebergenses sentirent aut non sentirent, de illis cōciliationibus: Imò cum illos aduersari potius eis acerrimē, quā ad stipulari arbitrarer. Testantur idem & Illyrici (qui tunc ibi Hebrææ linguæ publicus professor erat) complura scripta, iam publicē, non sine grauissimo eius periculo edita, contra Interim & omnes cessiones, cum illi nondum adedò proni in Adiaphora corruerant.

Quo igitur animo ac proposito fuimus, & quo odio illas horrendas veritatis, & Ecclesiarum nostrarum deformationes prosequeremur ante VVittenbergensium Adiaphorismum, eodem etiam postea, & vsq; in hodiernam diem animo sumus. Nec occultē aut clam habuimus vnquā hanc nostram sententiam: Nec quicquam aliud simulauimus aut dissimulauimus publice & priuatim erga auditores, Philippum & alios: Sed clarē, apertē, & nō tantum modestē, sed & liberē



ac serid, innumeris vicibus eis indicauimus, nos extremè im-  
probare omnes illas corruptelas & cefsiones.

Tam multa & tã horrenda ex ipsomet Philippo & illis  
Adiaph. corruptelis audiuius, eodem tempore, erga nos &  
alios dicta, vt etiam si nihil plus sciremus, possent illa nos &  
instituere & impellere, nisi planè Epicuræi porci essemus, vt  
toto pectore illas conciliationes detestaremur eisq; resiste-  
remus.

Scit hęc ipse Maior, qui nunc nos tam fœde hoc nomi-  
ne proscindit : Scit & Eberus, qui pastorem ibi agit,  
quod sæpe etiã antea, in nostris publicis scriptionibus testati  
sumus, istis, Philippo & alijs, tales nostras narrationes semper  
suo silentio comprobantibus.

Quin etiã Maior & Eberus tunc acerrimè oderant &  
repræhendebāt illas cõciliationes ac cefsiones, de qua re, plus  
rima vehementiaq; dicta, coram, ex eorū ore audita, recitare  
possemus. Dicebat semel ante Collegiū Maior ad Illyricum,  
cū indicasset, se in animo habere, Georgio Principi Anhal-  
tino de illis corruptelis scribere, facito quæso, plenus est re-  
formationum, quoties mihi vel de sola linea veste fuit cum  
eo certamen.

Idem alio tempore, cū detestaretur illas cefsiones, dixit  
ad Illyricū. Multi boni propterea dolore absumuntur, inter  
quos etiam mea vxor. Quin & eo ipso tempore, quo iam ad  
Cellense conuenticulū proficisci vellent, vbi illa Chimæra  
aut vitulus potissimum fusus & cusus est, cum eum fortè in  
suis ædibus conuenisset Illyricus, dixit ei, Ecce coemi tuos li-  
bellos, de non faciendis vllis mutationibus, vt eos in conuen-  
tu distribuam: Prodierat enim tunc admodum recēs tracta-  
tus, ad præuēiendas illas cefsiones & cõciliationes, quæ tunc  
iam in summum & quasi ad conclusionem peruenerant.

Eberus quoq; Maioris impulsu scripserat prolixum  
librum, de non faciendis mutationibus, & cõciliationibus in  
Reliq;



Religione, quem Illyricus & multi alij, extra VVittebergam viderunt ac descriperunt, inter alios etiam Stifelius. Eum librum miserat Eberus illis architectis conciliationū, in ipsū conuenticulum Cellense, vnā cum epistola adhortatoria.

Eodem etiam perscriperat idem Eberus, mortē & visionem D. D. Crucigeri, qui pridie sui exitus horrendam visionem illarum cōciliationum viderat, quo ipso tempore illi Cellæ in isto sanctissimo opere versabantur. Ex quibus abundē constat, quid ipsemet Maior & Eberus tum de illis corruptelis senserint.

Sed mox post illud conuenticulum Eberus quidem relanguescerat, vidēs illos aliō inclinasse, nec abfore periculū, si quis cōtradicare perrexerit: Scriperat & inde Camerarius Græcam epistolam, Illyrico visam, de eius libro & admonitione ad constantiam, dicens inter alia, esse etiam alias virtutes bono viro colendas, præter fortitudinē & constantiam, nempe, lenitatem, modestiam, moderationem & studium pacis. Maior vero in ea actione planē immutabatur.

Quare domū reuersus, mihi liberius expostulanti, quæcessisse ibi dicerentur, austerius respondebat: Vos hîc clamatis, inquit, non esse admittendas mutationes: At si ibi essetis, nihil auderetis mutire. Videbatur omnîo incidisse in multos montanos armatos, ancipitem gladiū gestantes, qui ei aliquid terroris incusserāt: Iusta excusatio fuit. Talis metus potest cadere etiam in virū constantem. Quare illas ipsas horrendas abominationes Babylonicæ Bestiæ illasq; tristissimas pestes, quas antea extremè erga nos & alios damnauerant, cœperunt laudare, promouere ac toti Ecclesiæ Dei obtrudere.

Quibus non potuimus non publicè reclamare. Quis enim, nisi prorsus Epicuri de grege porcus, aut etiam proditor veritatis, posset bona conscientia spectare & videre



ca Ecclesiae Dei obtrudi pro salutari alimento animae, quae nos tum ex verbo ac Spiritu Dei, tum & ex ipsorum proprio ore, esse diabolica venena & horredas sordes ac menstrua Babylonicae meretricis, quantumuis in aureis poculis propinarentur, toties cognouissemus. Si id in rebus carnalibus ac huius vitae periculo taciti spectare potuissemus, omnium flagitiosissimi essemus, & merito pro complicibus veneficorum haberemur & puniremur.

Cuiusmodi Maior, Eberus & alij sciant, quo animo erga illas corruptelas fuerimus, etiam multo ante quam ipsi quidem tam impio ac pernicioso conatui suam operam adiunxissent, cumque sciat, quam aperte & liberè nos in eo negotio versati simus, nihil subdolè, vafre & astutè egerimus, denique cum & ipsi prorsus idem nobiscum senserint, imò etiam nos, utpote iuniores, in tali sententia & conatu saepius confirmauerint, videant, quo animo ac pietate contraria, tam calumniosè ac contra propriam conscientiam de nobis & toto Adiphorismo eiusque certamine publicis scriptis spargere, ac coram Ecclesia Dei testari audent.

Post promulgationem Lipsicae Hyenae mox & Mansfeldiae & Islebiae, item VVimariae ac alibi de eadem formula recipienda in solennibus conuentibus deliberari coeptum est, sed Dei beneficio tandem in illis locis est reiecta. VVimarientem deliberationem, ubi etiam ipsi gubernatores ac Principes, à talibus corruptelis alieni fuerant, Menius postea anno 1558 publicè curauit VVitteb. excudi, in qua admodum austeram & grauis damnatio Lipsicae formulae continetur. Nam inter alia etiam dicitur, quod sit derisio Dei simul & Caesaris, quodque sit vera apostasia & abnegatio veritatis Iesu Christi.

Sed Islebiam promouendi corruptelas gratia venerat Maior, qui ibi audacter contra pios doctores debachabatur, donec tandem relicto ibi suo apostolo Stephano Agricola, nunc manifesto apostata, tandem ignominiosè inde ut seductor pulsus est.

Sumo



Summa, tanta erat vis ac impetus collusorum Babylo-  
nicæ meretricis, tanta q; vehementia illæ turpissimæ & pesti-  
lentissimæ mutationes ubiq; feruebant ac flagrabant, vt nisi  
eis à synceris doctoribus ore & scriptis fuisset repugnatum,  
& pij homines contra eas animati, intra paucos menses etiam  
Septentrionales Ecclesiæ Germanicæ corruiuræ fuisse vide-  
rentur, sicut Meridionales, Suenicæ & aliæ, iam penè prorsus  
concciderant, mutatæ partim in Interim, partim in plenū Pa-  
patum, & latitantibus magni nominis scriptoribus.

Nō nostrum hic opus, nostraue aut aliorū aliqua præ-  
clara facinora zelum aut constantiam deprædicamus, sed  
Dei inenarrabile consilium & ineffabile beneficiū, qui tunc  
verè Ecclesiam suam ad inferos deduxerat, spoliatam omni  
ope præsidioq; hominum, siue doctorum, siue potentū ac sa-  
pienrum, exaltatisq; in hoc ipsum aduersarijs, vt ostēderet in  
eis, & in liberatione Ecclesiæ suæ potentiam suam, vtq; ma-  
nifestarētur in tanta cribratione ac cruce corda plurimorū, &  
quinam probi essent, vt eligeret cōtempa ignobiliaq; huius  
mundi, & quæ planè nō sunt, ad cōfundenda potentia ac no-  
bilia huius mundi.

Inter alia & hic fuit finis illius cribrationis & potestatis  
tenebrarum, vt ostenderet Deus illustri & penè palpabili ex-  
perimento, se esse autorē, propagatorem & defensorem hu-  
ius Religiois, refutaretq; simul nostra impia somnia, qui an-  
tea & cogitabamus semper & dictitabamus, hic aut ille po-  
tens, sapiens aut eruditus peregit istud tantum opus propa-  
gatæ huius Religionis, detrahentes summo illi domino suam  
gloriam, & sacrilegè hominibus adscribentes.

O bone Deus, quantum scelus id est, quòd tam præcla-  
rum opus & inenarrabile beneficium clementissimi illius Pa-  
tris, nunc non tantū non cognoscitur & celebratur, sed etiam  
foedisimè impuro ore ac horrēdis blasphemijs cōspurcatur.

Quàm multi nunc in Germania sunt, qui tunc ardentè  
orarunt & obsecrarunt DEum, vt tot tamq; varijs Interim



resisteretur, & aliquē excitaret, qui eis animosē cōtradiceret, eaq; refutaret, qui nunc prorsus in alios homines versi, totam illam refutationem & repressiōem tot pestium, non Dei salutare, sed impium ac pestilens Satanæ opus fuisse, sceleratē & blasphemē ac planē in spiritum S. peccando vociferantur.

Atq; nunc compendio percurrissē de Adiaphoricarum corruptelarum narratione ac certaminibus sufficiat, contra ista falsissima Maioris figmenta, reliqua prolixius ac plenius pete rum ex Actis, sicut ab ipsis edita sunt, tum & nostra refutatione, atq; inuenies, quæ falsò ibi exposita sunt. Nunc breuiter adhuc aliquot testimonia præter superiora, ex ipsorummet proprio ore, de Adiaphoricis suis corruptelis adiciemus, & ita finem secundæ huic parti responsionis imponemus.

DICTA ALIQVOT ADIAPHORISTARVM DE  
SVO ADIAPHORISMO, QVAE NONNI-

hil adumbrare historiam illarum actionum, & veritatis vestigia commōstrare  
possunt.

QVam fuerit Philippus iam olim anno 1530. in Comitij Augustanis timidus, & transactionis cū Papistis cupidus, supra iam ex eius propria epistola & Sleidani testimonio audiuius, quibus adde & Lutheri epistolas, tunc ad eū scriptas, & pridem in octauo editas. Nunc audiuius ex Menij scripto anno 1558. V Vitteber: edito, quis fuerit tempore Interim, rerum & hominum, atq; adeo doctissimorum viro- rum status, mens & voluntas,

Der text Menij lautet also. Dennach wie es sonst  
zugehen pfelegt / wo ein vnuersehenlich vnglück / es sey  
feuers oder wassers not / so blöztlich einfelt / das idernā  
vertustert vnd irr wird / vñ in solchem schrecken niea-  
mande



mands wol bedencken kan/ wie der not zu steuren oder  
zu empfliehen sein wolle/ vñ geschicht wol das einer eben  
den weg dardurch er vermeinet der not zu entrinnen am  
allertieffestē hienein kompt. Also ist mit vns auch gan-  
gen zur zeit/ do vns Gott vmb vnser große Sünde / als  
Vndanckbarkeit/ Verachtung / Verlesterung / Versol-  
gung vñ Mißbrauch seiner gnaden/ vñ heiligen Euan-  
gelij willen / hat heimsuchē vnd straffen wollen / Den da  
war auch jederman versturzt vñd vertustert / also/ das  
niemand wol wuste/ was er thun oder lassen solt / damit  
er dem großen vnuersehenlichen/ gefehrlichen vñ schreck-  
lichē Gewor/ das in Teutschland so blözlich vñ gewaltig  
auffgangen ware/ vñd allenthalben brante/ steuren oder  
entpfliehen möchte / vñd gefielen derhalben mancherley  
rāhe vñd bedenckē / wie es von einem jeden für das beste  
vñ nützlichste angesehen vñd geachtet ward/ 16.

Item/ dieses auffnesteln vñd entbloffen meine ich  
also/ Erstlich/ das er vns vnser fürnemestes liecht vñ den  
Diener seines worts D. Luther seligē / vor der straff hin-  
weg genommen/ Darnach das er vns auch allen weltlichen  
leiblichen schutz / des man sich zum höchsten tröstet/ zu  
nicht gemacht. Vñd zum dritten/ das er hochuerstendigē  
weisen Leuten in solcher vnuersehenlicher fürfallender  
not den mut genommen/ sie kleinmütig gemacht vñd inen  
ire gedancken also zerstreuet hat werden lassen / das sie  
nicht wol haben sehen vñd gedencen können / was man  
thun oder lassen solt/ wie wir solches alles gesehen vñd er-  
fahren haben.

Considera pie lector diligenter hunc locum Menij, &  
cogita, quis tunc status hominum, rerum ac temporū fuerit,  
quamue nos gloriam & opes tunc ex oppugnatione illorum  
Interim sperare potuerimus. Perpende etiam duas causas A-  
diaphorismi, nempe, efficientem & finalem.

Effi-



Efficiens erat ingentia pericula & extremus terror, ac perturbatio Theologorum. Quid autem cōstantis confessionis ex tam trepido pectore expectes?

Finalis fuit, placare persecutores, & euacuare crucem Christi. Huc profecto non poterant prodesse pia ac constantia scripta, contra Antichristum. Ex his igitur duabus causis, reliqua expende & iudica. Nam ex efficiēti & finali omnis actio dependet. Perlege quoq; totum eius iudicium de Adiaphorismo & Lipsico Interim V Vittebergæ editum, reperies ibi eximia, inter alia etiam, quòd Adiaphorismus sit manifestissima abnegatio veritatis & Christi, quòdq; Adiaphoristæ voluerint Deo simul & Cæsari imponere, & vtrumq; simul deriserint.

Ne autem prolixitas huius scripti in immensum excre-  
scat, hîc non iam interferemus, sed tantū nominabimus authentica scripta, quæ vberioris & certioris cognitionis gratia vnâ cum hisce legere poteris: Vt primū est epistola ad Carolouitziū iam olim ab ipsis sparsa, & ante biennium ab Illyrico in sua prolixiore responsione ad acta V Vittebergenſia edita, ex qua multa historica de illis impijs collusionibus certo habere potes. Nam in ea, totum se autor aperit, vt ipsemet profiteatur, promittens etiam suam operam in promouendo Interim, & Adiaphoricis corruptelis, cum antea alijs Christi ministris suam sententiam astutē occultauerit.

Secundo, est locus prolixus in oratione Phili, in promotione Isinderi recitata, quem aliqua ex parte supra recitauit & lector hîc repetere potest.

Tertio, hîc quoq; inferi posset prolixa epistola Maioris initio anni 1549 Hamburgam scripta, cuius exemplar ab Alexandro Spies, tunc Secretario, V Vittebergam ad D. M. Heinricū Buscoducensem, postea Regis Danię cōcionatorem missa, vt moneret & hortaretur V Vittebergenſes ad cōstantiā, quam ille Philippo, Pomerano, Maiori & Diaconis in templo post concionem prælegit, quamq; eis Illyricus  
ali-



aliquoties in publicis scriptis obiecit, nec est vnquam ab illis negata. In ea enim diserté Maior testabatur, se in Lipsico Interim cum alia quædam accepisse, tum etiam extremâ vncti-  
onem, victos iniuria temporum, quibus etiam sapientes cre-  
bro cedant & multa tribuant.

Quarto loco lege epistolam Hamburgensium concio-  
natorû ad VVittebergenses. Itē præfationē. D. A. Epini Su-  
perintendentis Hamburgensis super librum Illyrici de Adi-  
aphoris, & simul responsionem VVittebergensium ad Hamb.  
quæ omnia edita sunt & simul pro authenticis haberi debēt,  
quippe à tantis & tam peritis rerum ac status Germaniæ viris  
scripta.

Quinto, lege Doctoris Pauli Eberi prolixum librum  
cōtra Adiaphoricas consultationes, ad Theologos VVitte-  
bergenses & Lipsenses scriptum, & Cellam ad eorum cōuen-  
ticulum missum.

Sexto, legantur Alesij & D. VVelleri prolixa dicta in  
eorum editis libris, de Adiaphorismo & alijs corruptelis, quī  
viri in eorum regione ac ditione tempore Interim egerunt &  
adhuc agunt.

Septimo, cognoscātur illæ tot consultationes de Interim  
& cōciliationib. Christi & Belial, quas in illis tot occultis cō-  
uētibus, partim ante publicatū Interim, partim pōst scripti-  
tarunt, quarū multas ipsimet ediderunt, In quibus nihil non  
fermè cōcedunt, quin etiam orant vt petatur à C. M. Inte-  
rim, dicunt se nolle pugnare de particula Sola, dicunt etiam  
bona opera esse prorsus necessaria ad salutem, & aiunt, nos  
fürnemlich præcipue iustificari per Christum.

Octauo, lege in illis ipsis eorum actis, vbi confitentur  
suos potentes accepisse Interim, & pollicitos, se illud in suis  
regionibus erecturos.

Nono, lege acta Cellensia, Pegauiensia & Lipsensia ab  
ipsismet edita, vide ibi simul ipsorum defensionē Lipsici In-  
terim contra piam regionis ac omnium statuum recusationē:



Vide & Episcoporum, qui interfuerunt, protestationem de omnibus illis conciliationibus. Deus bone, quid non ibi monstrorum & abominationum Babylonicæ meretricis reperies?

Decimo, legatur concio Albini, in funere Mauricij habita, & mox edita, ubi perspicue docet, Theologos prorsus multa ac magna Papisticis largitos esse.

Vndecimo legantur variæ epistolæ Phil. de illis conciliationibus Christi & Belial, quarum pleræque sunt ab ipsismet editæ, ut est vna ad Illyricum, in qua affirmat: Aulicos magna importunitate ac cōuitijs & minis etiam Canonem ac Milsam flagitasse, seq; grauius peccasse, qui non procul illas insidiosas deliberationes fugerit.

Item lege aliã epistolam ad Francofortenses, cuius statim initio hæc verba sunt: INTANTA Ecclesiarum DISPERSIONE & mœstitia, optarim quã MINIMUM fieri MUTATIONUM. SEMPER enim etiã TRANQUILLIS temporibus aliquid est in MUTATIONE incommodi. Nunc MULTO magis DOLORE afficiuntur BONÆ mentes, cū vident TALES MUTATIONES institui, quæ significat INCLINATIONEM ad INIMICOS nostros, quos certum est defendere vitiosos cultus. Propter hanc INCLINATIONIS opinionem TRIUMPHANT & CONFIRMANTUR INIMICI, & inter nos MULTI LANGVEFIVNT & in DVBITATIONEM adducuntur. Quare SVASORES mutationum GRAVITER accusantur & iudicantur scandalorum INSIGNIVM autores esse, videlicet LANGVEFACTIONIS in ea parte, quæ recte SENTIT, & CONFIRMATIONIS errantium, deniq; & OBSCURATIONIS VERITATIS & GLORIAE Dei. Hæc non sunt exigua mala, de quibus postea rursus dicendum est, cum fiet collatio scandalorum, quæ ex durioribus & mollioribus sententijs sequuntur. Prius autem discernenda est priuata confessio à consilio, quod alijs infirmis & dissimilib. datur.

Deniq; lege editum diploma conuentionis duorum Electorum, de illis deformationibus Ecclesiæ & Religionis, quæ



Interbachij inierunt. In quo testantur, omnia fuisse transacta  
& concordata, præter Canonē. De quo tamen ipso affirmāt,  
quod velint dare opera, vt etiam in eo cū aduersarijs concor-  
dent. Summa, lege modò illa ipsorum acta in timore Dei, &  
ita apertis oculis, vt ipsarum rerum veritatē, non putidos ac  
insidiosos Rhetorum flosculos consideres, reperies ibi multò  
plura ac foediora ab ipsismet narrari, quàm nos aut alij eis vn-  
quam obijcere ausi sumus.

Duodecimo, lege & Acta multorū concionatorū, quos  
propterea grauissimè afflixerunt, cœperunt, incarcerarunt  
& pepulerunt, vt Torgensiū, Friburgensiū, Zuickauensiū,  
Coldicensium, & aliorum in Misnia.

Deniq; ne nimis diu in hac ipsa summaria nomencla-  
tura immoremur, lege etiam ipsorū dudū impressū *Auszug*,  
aut summarium excerptū Lipsici Interim, ab ipsis eo tempore  
impressum, & vnà cum seверо edicto omnibus subditis pro-  
positum, reperies ibi omnium Papisticarum abominationū  
largissima seminaria.

Vt igitur hanc recitationem aut indicem monumento-  
rum, vnde Adiphorica historia plenè haberi pōssit, conclu-  
damus, sit tibi semper in oculis, hoc ipsorū Adiphoristarum  
propriū de suo opere iudicium.

Tota hæc fucosa cōciliatio tantū est CANONIS sta-  
bilitio & impiorum cultū, & approbatio sæuitiæ in Bel-  
gico & alibi, siue iam, siue postea talem conciliationē facient  
Principes. Sed tutius est abesse ab eorum consilijs, & retinere  
incorruptam veritatem. Vide hîc etiam simul prophetiā de  
futuris hyenis aut vitulis.

Sunt & alia penè innumera monumenta actionū A-  
diaphoricarum, quæ prorsus irrefragabilia sunt, quarum ali-  
qua Illyricus in libro cōtra duas Scholas edidit. Optandū au-  
tem esset, ea omnia simul colligi ac edi, in perpetuam verita-  
tis ac rerum gestarum memoriam, quandoquidem amasij &  
collatores Babylōicæ Thaidis eorūq; parasiti & mācipia, ni-  
hil non audēt negare, & persuasibilib. humāæ sapiētiæ verbis  
inuertere, pusillosq; Christi demētare & illaq; are nō verēt.



### TERTIA PARS.

**P** Romissimus superius, nos de controuersia Maioris, seu de necessitate operū ad salutem, deq; alijs erroribus eiusdem dicturos esse, in hac tertia parte nostræ responsionis. Hoc iam Deo opitulante præstabimus, quibus tamen aliquando etiā eius sodalium, atq; adeo & corporis doctrinæ, similes sententias adiiciemus.

Primum igitur sciendum est, eam cōtrouersiam ortam esse ex Adiaphorismo aut Lipsico Interim, quod etiā ipsemet prolixé in sua cōuersione Pauli, ternione e & f ostendit.

Causa autem atq; occasio ea illi fuit, quòd cum esset omnino cupidus certādi & oppugnatores Adiaphorismi cōfundendi, videretq; se nō posse amplius omnes deformitates totius Lipsici Interim cū applausu tueri, statuit sibi hoc vnū illustre caput, necessitatis operum ad salutem, deligendū arripendumq; esse, in quo si vicisset, nosq; pro voto retudisset, cogitauit omnes iudicatoros, quod vniuersæ Adiaphoricæ actiones rectæ sanæq; ac salutares sint, & á nobis immerito reprehensæ.

Cœpit igitur hoc impium dogma maxima vehementia in scripto, anno 1552. cōtra D. Amsdorffium edito, vrgere. Posuit autē ordine tres consentientes & admodū impias sententias, nempe hasce.

Semper docui, doceo, & toto vitæ meæ tempore docebo, **QVOD BONA OPERA SINT NECESSARIA AD SALVTEM, QVODETIÁ NEMO VNQVAM SINE BONIS OPERIBVS SIT SALVATVS. QVOD DENIQVE IMPOSSIBILE SIT QVEMQVAM SINE BONIS OPERIBVS SERVARI. QVARE SI QVIS ALITER DOCET, ETIAMSÍ SIT ANGELVS DE COELO, ILLE SIT ANATHEMA, &c.**

Verū amplioris testimonij gratia, vtilius fuerit, etiam ipsum totum textū Maioris, in quo hæc impia dogmata continentur, ad verbum adscribere.

Das



Das bekenne ich aber / das ich also vormal s geleret /  
vnd noch lehre / vnd forder alle mein leberag lehren wil /  
Das gute werck nötig zur seligkeit sein / Vnd sa-  
ge öffentlich vnd mit klaren deutlichen worten / das nie-  
mands durch böse werck selig werde / Vnd Das auch  
niemand s one gute werck selig werde. Vnd sage  
noch mehr / das wer da anders leret / auch ein Engel vom  
Himmel der sey verflucht.

Wolan wie gefelt euch nun das : Denn ich weis das  
dise die rechte Prophetische vnd Apostolische Lehre ist /  
so sie recht verstanden wirt.

Denn jr je das werdet bekennen müssen / Das durch  
böse werck niemand den Himmel / sondern die Helle verdies-  
ne / So mus demnach vnwidersprechlich volgen / Das da  
keine böse werck sein sollen / da müssen ja gute werck sein.  
Denn der mensch mus je nicht ein stein oder Klotz sein / der  
weder böses noch gutes wircke / Sondern der glaube vnd  
h. Geist vnd Christus so inn vns durch den glauben wo-  
net / sind ja in vns thetig vnd krefftig / vnd treiben vns /  
das wir nicht nach dem fleisch / sondern nach dem Geiße  
wandeln / vnd allerley fruchte des Geiße wircken / Gal. 5 /

Darumb es vnmüglich / das ein mensch ohne gute  
werck könne selig werden / wie Paulus sagt / Wir werden  
oberkleidet / so doch / wo wir bekleidet / vnd nit bloß fun-  
den werden. Denn es vnmüglich / das ein mensch waren  
glauben / vñ nicht zu gleich allerley gute werck habe / gle-  
ich wie die Sonne one iren schein vñ glantz nit sein kan /  
denn wo Christus vnd der Heilige Geiße in menschen wo-  
nen / so leuchtet solcher Glaube durch allerley gute werck /  
wie Christus selber spricht / Lasset ewer liecht also vor de  
menschen leuchten / das sie ewre gute werck sehen.

Hasce eadem sententias, etiã in sequentibus in eodem  
libro aliquoties repetit.

E 3 Hæc



Haec ad verbum edidit libentius ex eius libro recitavi, quia multi eius sectatores negant eum quicquam tale unquam docuisse, sicut & ipsemet iam contra Saxones scribens admodum audacter negat, se unquam docuisse, quod bona opera sint a deo necessaria ad salutem, ut plane impossibile sit quemquam per fidem, sine operibus saluari: Cum nec Saxones interseruerint voculam, per fidem, nec tamen ipse negare possit, se in praedicto sui libri loco, de credentibus loqui, & hac omnino esse sui erroris summam: Quin etiam negare non potest, se hac ipsa formula loquendi aliquoties, praesertim in conversione Pauli usum esse.

Haec ipsas tres impias sententias, praesertim primam etiam in concione, de conversione Pauli inculcat: Sed tamen glossat ibi ac conuertit, pingit & fucat eas infinitis, sibiq; inuicem ex diametro pugnantibus glossulis & coloribus: Quae sunt prolixè tum à nobis, tum & ab alijs pluribus scriptionibus dudum refutatae.

Quare postea coepit ab istis sententijs, quod quidem ad ipsa verba attinet, non nihil abstinere, & pro illis alias penè innumeras, sibi plausibiliores, & nobis odiosiores, aut alioqui etiam obscuriores, generaliores, magisue ambiguas inculcare praesertim in suis (ut vocant) Postillis. Modo enim tantum necessitatè obedientiae inculcat, omissa appendice salutis, & tanquam si nos omnem necessitatè obedientiae negemus, Epicureamq; peccandi licentiã doceamus, nos mutuata à Papistis calūnia accusat. Modo vult videri, se eam tantum in lege, aut legaliter vrgerè, multaq; legis dicta citas, quod Deus unicuiq; dabit secundum opera sua, nos tanquam si profus legem tolloremus; Antinomię accusat;

Modo contendit, se tantum contritionis, conversionis aut fidei necessitatè docere. Modo vrget bona opera tanquam causam formalem fidei, quia ea demum fides iustificet, quae multa bona opera simul habeat, non illa diabolica, quae complectitur solum notitiã, quam nos docere calūniatur. Modo vult videri, contemderè pro beneficijs Dei per Christum nobis conferendis, id est pro donatione S.S. renouatione, regeneratione aut sanctificatione, quasi nos illa immensa Christi beneficia contemnamus.



Modo fingit, se loqui de necessitate in iudicio hominū.  
Modo dicit se pugnare tantum, quòd opera iustificationem  
ac salutem, vt fructus bonā arborem consequi debeant. Mo-  
do ait, se ea formula tantum loco adhortationum ac commi-  
nationum erga pios vti, vt facite fructus dignos poenitentiae,  
iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor  
aut palmes non ferens fructum, excindetur. Ambulate dum  
lucem habetis, & similibus. Aliquando etiā, p̄sertim in cō-  
uersione Pauli dicit, se hoc onus tantū veteri homini impo-  
nere, non nouo aut conscientiae.

Cudit ergo & inculcat planè innumeras sententias, in  
aliquam harum interpretationum, summarū aut causarum  
incurrentes, quas pro suis errorib. inculcet, tanquā si de illis  
eius glossulis aut sensibus sit inter nos primarium certamen.

P̄sertim autem illud genus calumniae eius, est longe  
malitiosissimum, quòd quamprimum in scripture suae Po-  
stilla ei aliquod concinnum dictum, quo monemur de noua  
obedientia incidit, vt illud. Sic currite, vt brauium compræ-  
hendatis. Milita bonam militiam, retinens fidem & bonā cō-  
sciētiam. Qui parce seminat, parce & metet. Mox bonus vir im-  
pudenter clamat, Ecce Illyricus & Flaciani nō volūt, nos le-  
gitimè currere, certare, militare, seminare, large seminare in  
spiritu, de quib. adhortationib., minis & promissionib. pror-  
sus certamē nō est, modo relinquatur remedium remissionis  
peccatorum eis, qui talia non p̄stiterunt.

De hac igitur re primariū est certamen. 1. an homo in-  
dignissimus, omniq; bono opere carēs, qui toto vitæ tempo-  
re perditissimè vixerit, possit fide, ob meritum Christi, quā-  
docunq; conuersus fuerit, aditum ad iustitiam & salutem e-  
ternam habere, aut non. 2. An nostra iustitia ac salus vlla  
ratione ex conditione nostrorū bonorū operum ita pendeat,  
vt non p̄stitis illis, saluari ne queamus, aut non dependeat.

Hic nos ex perspicuo verbo Dei affirmamus, toto coelo  
separatam esse gratuitā iustitiā ac vitā, a nostris bonis operib.  
aut virtutib. sicut Luth. hęc duo, tāquā coelū a terra separare



docet. Et Paulus suas iustitias pro sterore ac reiectamento, & Maias pro panno menstruatę habere, reijcere ac cōtemnere vult, vt modo iustitia ac salute Christi potiri queat.

Contrá Maior simpliciter, ac citra omnem exceptionē adeo cōtendit, bona opera esse necessaria ad salutē, vt sit planē impossibile, quemquā, citra illorum præsentiam aut præstationem saluari.

Retinenda verò est hæc nostra doctrina, cum propter innumeras alias grauissimasq; causas, tum præsertim vt filio Dei sua gloria tribuatur. Qui cum venerit, vt peccatores, id est, etiam perditissimos homines, omnib. bonis operibus carentes, saluos faciat, et hoc tam arduum opus, ingenti sudore, obediendo & patiendo, semet exinaniendo, & iram patris portando, placādo ac superando acquisierit, necesse est ei hęc laudem integrē inuiolatęq; relinquere, sine omni impedimēto ac conditione nostrorum bonorum malorumue operum.

Altera causa est, quòd si nō volumus exitiabiles desperationis laqueos cōscientijs iniicere, oportet omnino hoc statui, ac pro certo & indubitato retineri: Quòd quacunq; hora peccator, quātumuis turpis ac teter, ingemuerit aut vera fide ad Christum confugerit, nec micam quidem bonorum operum habens, Deus non sit amplius omnium eius peccatorum recordaturus, eumq; ad vllum iudicium deducturus, sed rectā a morte ad vitam, tanquam omnium iustissimum, translaturus. Deniq; longē alia res est iustitia & salus, quàm sunt opera nostra.

Cogitentur vero non tantū parui infantes, mox a natiuitate animam exhalantes, aut alij, qui turpissimē & scelestissimē toto vitæ tempore, vsq; ad vltimum articulum vixerunt, & in extremo tandem momento conuertuntur: Sed etiam ij, qui licet sint piē viuere conati, tamen in corde suo sentire & confiteri coguntur, omnes suas iustitias esse pannum menstruatę, & dicere cum Bernhardo: Perditē vixi, aut cum communi nostrarū Ecclesiarū cantione, *Es war kein guts in leben mein*



Quòd si accedat tentatio Satanae, accusantis & calum-  
niantis, conscientiamq; nostram cribrantis, quid ibi omnino  
aliud, quàm ipsissima desperatio & infernus ipse Maiorismo  
infectis, restabit?

Hæ igitur sunt duæ grauissimæ causæ, præter alias in-  
numeras, cur hanc doctrinã, expulso Maioristico errore re-  
tinere vtraq; manu & ambabus vlnis, modis omnibus sit ne-  
cesse, nisi & Christo suam gloriam, & misero peccatori certã  
fiduciam ac consolationẽ eternæ vitæ auferre velimus, Chri-  
sti etiam opera & nostra confundere.

Hic oportet nos etiã ad pauca quædã sophismata Ma-  
ioris cõpendio respondere. Nam omnia singillatim sunt an-  
tea toties & tam neruosè à diuersis, imò & ab omnibus Saxo-  
nicis & Mansfeldicis Ecclesijs simul refutata cum quidem  
aliquandiu conatus esset Islebiensibus suum pestilens do-  
gma obtrudere, sed tandem inde ignominiose, ob suum erro-  
rem eiectus est.

Primum igitur in eo tetram sophisticen exercet, quòd  
crebro ab vltimis effectibus, ad primas causas, malitiose & tes-  
tè refugiens, scopumq; causæ secũ transferens, sese recipit.  
Vult enim subinde simplicioribus persuadere, cũ de neces-  
sitate operũ pugnat, se de cõtritione, conuersione, & fide pu-  
gnare. Atqui hæc omnia antea clarè ac diserte distinxerat, in  
primo scripto, ab illis bonis operibus, quæ voluerat esse ne-  
cessaria ad salutem.

Præterea quomodo hæc glossa aut fucus, cum illa alte-  
ra ipsius fraude conueniet, quòd subinde clamitat, se de fru-  
ctibus aut effectibus iustificatiõis decertare, & illa bona ope-  
ra docere, esse necessaria ad salutem? Sic scopum controversiæ  
modo in effectibus iustificatiõis, mox in antecedentibus col-  
locat.

Deniq; secundũ hoc sophisma, bona opera præcedunt  
iustificandum, & boni fructus producentur, antequã ipsa ar-  
bor fiat bona. Nam contritio præcedit iustificationem.

F

Secũ-



Secundo, consimili fraude dicit, se loqui de dono Spiritus S. seu viuificatione, seu de renouatione, instauratione ac sanctificatione hominis, illa se putare esse necessaria ad salutem, nos vero negare. Respondemus, quòd de alijs rebus, aut bonis operibus sit initio locutus ex prædicto eius libro ac loco manifestum est: Sed non possunt ista ipsa dici bona opera, propterea, quia sunt causæ bonorū operum, & quia sunt mera ac pura Dei dona, erga nos purè patientes, vbi nos tantum accipimus, non damus aut offerimus Deo quicquam. Sicut igitur donatio S. Sancti nullo modo nostrum bonum opus dici potest (Est enim merū ac purū Dei erga nos beneficium, non nostrum erga Deum officium aut sacrificiū) Sic nec viuificatio, renascētia, aut instauratione huius corrupti hominis.

Sicut igitur accipere sortem, ad foeliciter foenerandum (cum quo opere comprobatur Christus ipse nostram instaurationem) nullo modo est nostra aliqua virtus, aut bonū opus, sed si sequatur retentio fortis, ac industria foeneratio, bonum opus seduli ministri dici poterit, sic & renouatio hominis.

Multo vero magis præcedentia renouationem, vt sunt contritio & fides, sunt mera ac pura Dei opera & beneficia, non nostra erga Deum officia. Fiunt autem etiā nostra opera, cum ea, Deo nos regente, retinemus, ac rectè exercemus, in lucrum ac gloriam Domino.

Separanda ergo & rectè secanda sunt ista, inter sese diligentissimè, non confundenda, vt Maior sophisticandi gratia fecit.

Renouatio est causa efficiens, Bona opera aut noua obedientia sunt effectus & fructus renouationis & renouati hominis, sicut boni fructus bonæ arboris. At iste bonus vir obturadæ disputationis, & turbandi cōscientias gratia, subindè ea, tanquam si idem sint, confundit, tanquam si perindè sit nostrum bonum opus, quòd merè passiuè bonæ arboris diuinitus gratis fimus, ac quòd postea boni ex malis arboribus facti, fructus bonos ferimus.

Iam



Iam multò tolerabilior est sententia, neminem seruari sine renascentia, quàm sine bonis operibus, quia in priorì folius Dei beneficentia prædicatur, & certissimum est, Deum in hac vita, omnibus saluandis simul cum iustificatione, aut mox post iustificationem, etiam renouationem conferre.

Non potest etiam illa ipsa sententia perindè inducere peccatorem ad desperationem, cum audit, nō sua bona opera, quæ scit se non habere, sed Christi gratuita beneficia requiri ad salutem, quæ illum fideliter præstiturum, non dubitat.

Tertium sophisma est quòd contendit, se, cum loquitur de necessitate bonorum operum, loqui de fructibus iustitiæ, & vitæ iam partæ. Ad quod ei innumeris penè vicibus respõsum est, hanc glossam pugnare cū eius errorum textu. Nam aliquid esse necessariū ad aliud, & illud sine hoc fieri non posse, sicut ipse disertè clamat, *Es ist gar unmöglich / das jemand ohne gute werck selig werde* / quod certè de futuro tempore sonat, tales profectò locutiões, in omnibus linguis & omnium hominum intellectu, de re antecedente sonant, nō de præterita, postponuntq; salutē bonis operibus, non præponunt.

Omittimus nunc illud bellum stratagema istius artificis, quòd sententiam: Bona opera sunt necessaria ad salutem, nunc clam aut dissimulanter transformauit in hanc: Bona opera sunt saluandis necessaria, quam nunc plurimum pro altera vrget, tanquam si prorsus ei æquiualeat. Habet verò in hac multas commoditates sophisticas, quibus altera destituitur. Multa enim sunt saluando necessaria, quæ ad salutē planè nihil faciūt, vt sunt, caput, pedes, ventriculus, cibus, potus, vestitus, & penè dixissemus etiam locus, qui inde vocatur necessarius: quæ omnia, saluti nec profunt, nec obsunt. Incertum etiam est, in hoc ambiguo cothurno, an bona opera præponat, aut postponat saluti, & qua omnino ratione aut conditione illa ei coniungat aut associet.



Talibus inuolucris ac gyris, cū iste vetus serpens se huc atq; illuc gyret, & simplicem lectorem, auditorem, ac disputatorem inuoluat, quid tandem cū eo rectè agi ac decerni potest? Quare necessariò ex alijs, aliq̃ controuersis ac scandala exoriuntur, & in æternum cōtinuantur. Quòd si candidè disputaret, rectà controuersas sentētias aggredere, eas perspicuè explicaret, & tandē probaret aut refutaret, nec ea fingeret sibi nobiscū controuersa esse, quæ nunquā nec in mentem quidem nobis uenerunt, nā nos aliquando tandē ad finem certaminis, Deo benedicente, deueniremus?

Vltimū sophisma est, quòd adhortationes ad studium hōestæ vitæ, minas ac promissiones, quæ iam magna ex parte legales sunt, hūc ad ornandum suū errorē, trahit. Nos enim facile ferimus, vt clamet Doct̃or, non tantū bona opera, sed & integram obedientiam, aut impletionem legis esse ad salutem necessariam. Nam Deum daturum vnicuiq; in extrema die secundum opera sua, &c. Verū ita, vt adueniente Christo ac suo Euangelio, omnia ista horrenda terriculamenta, minæ ac promissiones legis cedant, valeatq; interpretatio istorum terribilium fulminū, quam Euangeliū adhibere solet, quòd dicit, vt sequitur.

Verum est, necessaria est integra perfectaq; obedientia ad salutē. Nam ipsemet Dominus dixit, si vis in vitā ingredi serua mandata. Sed mihi contrā data est plena potestas interpretandi aut mitigandi istum rigorem. Interpretor igitur & mitigo sic. Necessaria est saluando perfecta obediētia, scz sua vel aliena. Ecce autē, hic demū est ille verus Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, quiq; suis bonis operibus legē, pro totius mundi debito impleuit. Aut sic: Debitum obedientiæ est quidē necessariū ad salutē, scz, nisi gratis remittatur, propter alium largissimum persolutorem (qui ad hoc ipsum, vt debita nostra persoluat, diuinitus cōstitutus est) nēpe agnū Dei, qui propter peccata nostra est vulneratus, & cuius vulnere nos miseri peccatores sanati sumus.

Hic



Hic mox occurrens Maior vociferatur, vt semper solis  
ti sunt aduersarij gratiæ, quòd istud Euangelium det effrenã  
licentiã peccandi, cum dicimus, id dimittere aut tollere de-  
bitum obedientiæ ad salutẽ, cui respondemus. Nequaquam  
dat Euangelium licentiã peccandi, nec tollit debitum obe-  
diendi in posterum, sed tamen semper condonat debitũ præ-  
teritum, seu non præstitã obedientiæ, quotiescunq; modo id  
peccator fide quarit & petit. Quod quidem quotidie & quasi  
omnibus horis facere debet, dum iubetur à domino, repeten-  
do ingeminatè: Remitte, remitte debita nostra nobis. Cõdo-  
nat igitur & tollit Euangeliũ, omnibus horis, debitum præ-  
teriti temporis, non autem futuri, sicut Papa solitus est suis  
indulgentijs cõdonare peccata futuri temporis, quæ quis ad-  
huc patrare meditaretur. Quod verè fuit dare Epicurẽã pec-  
candi licentiã.

Respondimus iã ad Maioris sophismata in genere. Nã  
per partes singulas accuratius antea ei respõsum est, sæpius &  
à pluribus. Nunc de hoc & alijs eius planè Papisticis errori-  
bus, ordine, Christo iuuante, plenius dicemus, vt omnes cer-  
nant, quã necesse sit contra eum pugnare, vtq; omnes sibi  
ab eius scriptis, præsertim autem à Postillis, quæ plenæ sunt  
erroribus, sedulò caueant, tanquam à præsentissimo veneno.

## DE OPERVM NECESSITATE AD

salutem.

**P**rimus igitur Maioris error fuit, de necessitate bonorum  
operũ ad salutem, quem ille, etsi promitterat Ecclesiæ pu-  
blica confessiuncula, se omisurum esse, nec vllò modo  
amplius vel propagaturum, vel etiam defensuram, tamen id  
nequaquam præstitit, sed cum in alijs scriptis, tum præsertim  
in quarta parte epistolaris Postillæ in singulis serè paginis re-  
nouauit & inculcauit, vt postea citatis locis ostendam.

Quin & in præsentis præfatione contendit, non tantum

F 3

qua-



qualiacunq; bona opera, sed & perfectam obedientiam necessariam esse ad salutem. Citat enim aliquot legalia dicta, & nihil adijcit, illa admittere suam disputationem, mitigationem & exceptionem ex Euangelio. Atq; hanc doctrinam videri vult esse illam ipsam, de qua haecenus cum eo litigatum sit. Verba eius haec sunt.

Crepitent illi de Maioristis, quantum volent, tamen in aeternum stabit, vt murus aheneus, dictum Christi. Quisquis soluerit vnum ex mandatis hisce minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum: Quisquis fecerit ac docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum, imò & MAIOR. Item qui bona fecerunt. ibunt in vitam eternam: Qui vero mala, in ignem eternum. Hec cum sit fides catholica & immota, an non furor & rabies est, disputare, an bona opera seu noua obedientia sit necessaria? &c.

Si haec dicta legis, quae nunc Maior tanquam suam doctrinam, de necessitate operum citat, simpliciter, ac sine omni Euangelij dispensatione aut mitigatione accipienda sunt, vt sane Maior voluit haecenus suum dogma, citra omnem exceptionem, verum retinendumq; esse, an non simpliciter docet, iustitiam & salutem, per bona opera acquirenda esse, atq; ita desperationis doctrinam proponit? Sin vult & haec dicta per Euangelium emendari ac corrigi, non recte dicit, ea prorsus immota esse: Multo minus candidè agit, quod dicta legis, suo modo abrogabilia pro sua indispenabili doctrina, de operum necessitate ad salutem vrget.

Sed sic solet ille legem Euangelio, & caelum terra miscere, vt modo pusillos Christi fallat & iustam syncerorum Christi ministrorum refutationem eludat.

Hanc eandem pestem etiam Corpus doctrinae in Ecclesia Dei inuehit. Primum enim non penitus separat bona opera a iustificatiōe tanquam fructus aut effectus eius, sicut semper haecenus in nostris Ecclesijs laudatum & inculcatum est illud Augustini. Bona opera sequuntur iustificatum, non praecedunt  
iustitia



iustificandum. Quod cum per se falsum est, ac contra doctrinam Christi, quod non prius faciat arborem bonam, quam fructus eius bonos, tum etiam facile potest dare occasionem alicui tetiori corruptelæ articuli iustificationis, ac multis alijs.

Urget autem istud Corpus hanc sententiam cum alibi, tū & in Bauaricis articulis, ubi vult, quod particula SOLA non excludat præsentiam, sed tantum meritum. Num ergo iam tunc arbor, cum adhuc fieri bona debet, aut fit ex mala, habet fructus bonos?

Consonat igitur prorsus vox SOLA, cū illis Pauli dictis, Qui iustificat impium, item, Qui iustificat non operantem, Et, venit ut peccatores saluos faceret, Item cū toties inculcat, sine operibus.

Deinde operum necessitas ad salutem, non obscure in hoc Corpore doctrinæ in pluribus locis inculcatur. Nā initio articuli sexti, recentioris editionis confessionis, cum urgetur necessitas operum, citatur illud dictum, si vis in vitam ingredi, serua mandata. Quod legale dictū ad contritionem pertinens, hucq; malè translatum, necessariò docet, salutem aut ingressionem vitæ per obseruationem mandatorum haberi, quæ omnino est extrema necessitas bonorum operum ad salutem, ipsissimaq; Papistarum corruptela articuli iustificationis.

Sic & in repetitione confessionis itidē operum necessitatem explicando inquit, Et de necessitate bene operandi inquit Dominus: Nisi abundauerit iustitia vestra plusquā Phariseorum, non intrabitis in regnum cælorū. Cōsiderata autem necessitate bonorum operum, quàm multiplex est &c. Et paulo post, in eodem scripto de operum necessitate, citatur illud Paulinū, Superinduemur, si non nudi reperiemur. Quæ huc male detorta, omnino extremam operum necessitatē ad salutem asserunt.

Quæ obsecro potest Maior excogitari aut etiam dici operum necessitas ad salutem, quàm quod huc trahitur illud  
legas



legale Christi dictum, Matth. 5. Nisi iustitia vestra abundaverit plusquam Scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnum caelorum. Vbi prorsus iustitia operum & salus aeterna per eam acquirenda docetur. Quid hoc tandem aliud est recte expensum, quam docere, nos per bona opera iustificari & saluari.

Non etiam dissimulat in Bauaricis articulis hunc errorem, Inquit enim, de operum necessitate agens. Non vtor hisce verbis, Bona opera sunt necessaria ad salutem, quia hac additione, ad salutem, intelligitur meritum, vbi cernimus eum non damnare istud dogma, sed tantum a verbis abstinere. Itaque eatenus tantum non probare hanc sententiam, quatenus de merito accipi posset, alioqui intellectum, de omni alia necessitate operum ad salutem prorsus probare.

In eo etiam aberratur multis a vero, quod putant, (sicut & praedicti articuli) se satis exclusisse Papisticum errorem, si modo tollant ex bonis operibus meritum iustificationis, & ad solum Christum transferant, cum etiam Interim, totum meritum iustitiae ac salutis, nostris operibus ablatum, in solum Christum transferat, quin & Thomas Aquinas haud raro idem faciat. Nam etiam, cum adimunt operibus dignitatem meriti, iustificationis ac salutis, tamen ita eam in iustificationem implicare, & vel causam sine qua non, vel instrumentalem, vel formalem eius facere possunt, ut nihilominus articulus iustificationis corrumpatur, & conscientijs pusillorum Christi, laqueus iniiciatur. Quare euigilent pii, nec sibi facile imponi patiantur, sed sciant istum errorem multo latius patere, ac pluribus modis noxium esse posse.

Illud quoque perincommodum fit, in definitionibus isti Corpori insertis, quod opera legis definit esse cogitationes humanas, & imperia voluntatis scientis locomotiuam, ut externae actiones congruant cum lege Dei, & qualemcumque conatum disciplinae. Si enim sic Paulum intelligas, toties ex gratuita iustificatione, opera legis excludentem, mox & doctrinam Pauli

COR



corrumpes, & iustitiam inhærentē cum imputatiua commif-  
cebis, & deniq; Papisticum errorem comprobabis. Nam quæ  
Paulus non excludit, ea tibi excludere haud quaquã licebit.  
At Paulus excludens opera legis ex iustificatione, separat ab  
ea tantum nostras virtutes ac bona opera, siue humanis viri-  
bus effecta, siue diuinitus infusa, aut in nobis excitata. Quare  
per opera legis necesse est omnia opera à lege mandata, quo-  
quomodo fiant, intelligi.

Quapropter vt Paulinam doctrinam saluam retinea-  
mus, istã Corporis definitionē abijciamus, & sciamus Pau-  
lum phrasi, sine operibus legis, excludere omnia opera, à lege  
Dei mandata, siue fiant veteris, siue nouis hominis viribus.  
Aut certè isti suum κακόχυμον corpus sanent, & osten-  
dant, se non loqui de hac voce aut re, vt in sacris literis acci-  
pitur, sed vt in aliquibus alijs scriptis suis, aut aliorum vsur-  
patur, quæcunq; demum illa sunt.

Verū cum hic error, necessitatis operū ad salutē, tum  
antea multis multorum scriptis refutatus, tum & nunc in  
præcedentibus sit retusus, trāsibimus ad alia huius hōinis de-  
liria, de hoc fortè denuò aliquid in fine dicturi. Ex quo enim  
inceptit agnitæ veritati repugnare, quasi in quandam senti-  
nã multorum errorum incidit, vt plerunq; accidere solet in  
duracis, & in reprobum sensum traditis seductoribus.

Dicemus igitur nunc, quàm variè in articulo iustifica-  
tionis contra veram nostrarum Ecclesiarum & verbi Dei  
doctrinam, in suis scriptis tumultuetur & insaniat.

### ERRORES MAIORIS IN IUSTI- ficatione.

**I**N articulo igitur iustificationis, primum in eo grauissimè  
impingit, quòd ipsam essentiam iustificationis modo cum  
Interim, & Concilio Tridentino, partim in remissione pec-  
catorum, partim in renouatione, modo etiam Papistarū er-



rorem superans, prorsus in solis qualitatibus aut renouatione collocat.

Loca, in quibus iustificationem dicit esse, tum remissionem peccatorum, tum & renouationem hominis, hæc sunt: In dispositione super Rom. Fol. 54.

Duplex igitur saluificatio seu iustificatio est: Vna in hac vita, altera in æterna. Quæ in hac vita est saluificatio, constat remissione peccatorum, imputatione iustitiæ, DONATIONE & RENOVATIONE Spiritus Sancti, & spe vitæ æternæ, gratis per Christum donandæ. Hæc saluificatio & iustificatio tantum est inchoata & imperfecta, qua in ijs qui fide salui & iustificati sunt, manet adhuc peccatum & prauitas naturæ, manent terrores legis & peccati.

Sic etiam scribit in secunda parte Homil. Fol. 56. Iustitia igitur & salus, quæ in hac vita ex sola fide est, exclusis omnium operû meritis, est IUSTITIA & salus imputata, INCHOATA, abscondita, reuelanda, IMPERFECTA, nondum apprehensa. Est IUSTITIA & salus in spe, nondum in re, ex qua PRIMITIAS tantû, nondû DECIMAS Spiritus accepimus, in qua RENOVATIO & SANCTIFICATIO INCHOATUR PERFICIENDA in altera vita, quam iustitiam & salutem in verbo promissam, &c.

Similia loca plura in eius libris reperiuntur, sed ex hisce dictis manifestè cernimus, eum iustitiam fidei partim in renouatione, partim in remissione peccatorum collocare, sicut Interim, Cõcilium Tridentinû, & nûc vsitate Papistæ solent factitare, ex quo eos cœpit pudere omnia operibus tribuere.

Eundem errorem & in Concione de cõuersione Pauli breuiter, idq; in Syllogismo (vbi attetiores esse solemus) hisce verbis circumscripsit.

Seligkeit aber in diesem leben ist/ Vergebung der Sünden/ vñ angefangene vernewerunge zum bilde Gottes/ Item gerechtigkeit/ Heiliger Geist vnd ewigs leben.

Similes, easq; satis perspicuas iustificationis descriptiones



nes reperire licet & in Phil. epistola ad Rom. ac præsertim in  
longa disput: cum prima Tim. anno 1561. V Vitteb. edita.

Nunc ostendemus quibus in locis iustificationē Ma-  
ior in sola renouatione, aut virtutibus ponat.

Primum igitur Disp. Rom. 10 claré dicit, iustitiam no-  
stram aut fidei, esse fidem & sequentes virtutes, idq; intelligit  
de ipsa essentia fidei, non de correlatione, quatenus meritum  
Christi apprehendit, loca eius adscribam.

Iustitia autem fidei, est CREDERE (obserua credere  
dicit, non fides, quatenus apprehendit Christum) filiū Dei  
propter nos homines & propter nostram salutem, descendisse  
de coelo, & incarnatum inter nos habitasse, & voluntatē pa-  
tris reuelasse nobis, quæ est, vt omnis, qui videt filiū & credit  
in eum, habeat vitam æternam.

Item est CREDERE, hunc filiū Dei pro nostris pec-  
catis passum, descendisse in abyssum sepulchri & mortis, & in  
de resuscitatū adferre omnibus in se credentibus iustitiam, &  
ex morte reditum ad vitam æternam, & hunc victorem mor-  
tis & ducem & authorem vitæ & iustitiæ apud patrem inter-  
pellare pro nobis, venturum iudicem viuorum & mortuo-  
rum. HAEC EST iustitia fidei, HOC VERBUM de filio  
Dei incarnato, pro nobis crucifixo, mortuo, resuscitato HA-  
BERE IN CORDE (hic audis, qua ratione credere dicat  
esse nostram iustitiam, nempe, quatenus est quædam notitia  
ac virtus in corde nostro existens) in eo LAETARI & AC-  
QUIESCERE, & id ORE CONFITERI, PROPAGA-  
RE, DOCERE, & propter hæc beneficia CELEBRARE  
Deum, ei gratias AGERE, & propter hoc verbū omnia ex-  
trema, etiam mortem sustinere ac pati. Quod qui facit, hic nō  
ex lege & operib. sed ex verbo fidei iustus & saluus est. Cor-  
de enim creditur ad iustitiā, ore autē cōfessio fit ad salutē &c.

Iustitia igitur fidei complectitur duo, cordis fidem (au-  
dis eū intelligere ipsam essentiā fidei, non correlationē) & oris  
cōfessionē, cū cæteris fructib. fidei, seu nouitate vitæ. Hæcte-  
nus Maior.

G 2

Hic



Hic claré audiimus, Maiorem primū repetita circum-  
scriptiōe aut definitione fidei, deinde eiusdem diuisione aut  
partium enumeratione asserere, iustitiam fidei aut Euange-  
lij, seu nos iustificantem & saluantem, esse non ipsam Christi  
obediētiā, eiusue imputationē, aut peccatorum benignam  
condonationem, sed ipsas virtutes nostras, fidem, confesio-  
nē, patientiā in cruce, & alias virtutes ac fructus fidei. Quid  
quæso magis Papisticū aut Interimisticū, de iustitia infusa  
omnino excogitari posset?

Hunc locū dudum, nempé mox initio anni 1557. taxa-  
uimus ac verbo Dei redarguimus. Nec tamen ille destitit ab  
hoc errore ponendi iustitiā fidei in nostris virtutib. aut qua-  
litatibus, sed porrò in tuo errore audacter superbeq; perrexit.  
Nam primum mox nouam expositionem Epistolæ ad Rom.  
scripsit, titulo Enchiridion, in qua præcipuum locum aut se-  
dem iustitię imputatiuæ corrumpit, & ad infusam magna ex  
parte transfert. Sic enim super illum primarium locū Rom. 3.  
scribit: Nunc, inquit, manifestatur iusticia Dei, per fidē Iesu  
Christi, qua Deus nos iustificat, id est, iustos propter media-  
torē, non propter nostras virtutes pronūciat. Complectitur  
autem simul remissionem peccatorum, recōciliationem, im-  
putationem iustitiæ, donationem Spiritus S. viuificationem,  
& donum vitæ æternæ. Quæ bona fide accipienda sunt, ideo  
inquit, iustitia Dei per fidem Iesu Christi.

Deinde in Postillis etiam magis istum errorem incul-  
cat. Nam in prima partē Homel. super epistolas, iusticiam fi-  
dei iustificantem aut saluantē collocat in nostris virtutibus  
seu qualitatibus inhaerentibus.

Facit enim tres iustitias, legalem aut Pharisaicam, fidei  
aut Euangelicam, & bonorum operum. Sumit autem occa-  
sionē dicendi ex dicto Christi, Matth. 5. Nisi abundauerit iu-  
sticia vestra, plusquam scribarum & Phariseorū, non intra-  
bitis in regnum cœlorū. Vt igitur ostendat, quomodo abun-  
det, aut sit plenior & perfectior iustitia Euangelij quā legis,  
con-



confert eorum essentias, ac sumit ipsum Paulū pro exemplo. Primumq; describit essentiam iustitię Paulinæ ante conuersionem, seu Pharisaicā. Deinde essentiam iustitiæ, post conuersionem ipsius, seu Euangelij, vt ipse eam censet, ostendēs, quā multæ necessarię partes illi priori iustitiæ defuerint, quæ postea in illa plena ac Euangelica accesserint, quæ fuerint, numero sex. Sed adscribemus aliquot excerpta inde. Nā totum textum adijcere nimis longū esset. Ait igitur Tern. L.

De hac legali seu Pharisaica iustitia inquit Christus, Matth. 5. Nisi abundauerit iustitia uestra plusquam scribarū & Pharisaorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

Opus est igitur alia iustitia, quæ illam Pharisaicā longē superet, nempe ea, quæ non legis, non nostra, non operum, non virium aut meritorum humanorum, sed Dei est.

De hac Dei iustitia iustificante coram Deo concionatur Euangelium, quæ legis, humanam, ciuilem seu Pharisaicam iusticiam sex rebus superat, 1. Pœnitentia. 2. Fide. 3. No- uitate spiritus. 4. Vera inuocatione. 5. Succelsibus in uocatio- ne. 6. Victoria contra peccatum, diabolū & mortem.

Ac quidem declarandi causa, sumemus Pauli exemplū ante cōuersionem. Magna virtus & integritas in Paulo fu- it ante conuersionem, ita vt in gente Iudaica suo tempore, vt pulcherrimum lumen fullerit, factus irreprehensibilis iuxta iustitiam, quæ est ex lege.

Sequitur proluxa descriptio pulchritudinis & magni- tudinis Pharisaicæ iustitię, quæ fuerat in Saulo ante conuer- sionem. Qua absoluta, mox incipit describere eiusdem tetros defectus aut mutilatas partes. Inquit enim, Sed hic Paulus i- ta sanctus, & iustitia legis fulgens, non videt tetram & hor- rendam suam internam iniustitiam, non videt se peccare.

Sequitur proluxa descriptio defectuū huius Pharisaicæ iustitiæ, quos docet esse sex, quibus sit mutila ac manca, quo minus æquiualeat aut exhibeat illā iustitiā abundantē, iusti- ficantē & saluantē, quā Christus Mat. 5. vt ad salutē necessariā



Addit enim, Primum, non videt se peccare cōtra primum præceptum, cum nō Dei misericordia, sed sua propria & ea quidem immunda & contaminata iustitia confidit & in ea superbit. Deinde nō videt se peccare contra secundam tabulam, se homicidam, moechum, furem, dū odio proximi, dū alterius vxorem, possessiones & facultates concupiscit. Putat enim se ideo iustū, quia manus ab iniuria proximi coercet, dū alterius coniugem non attingit, nec proximo suas res rapit: Nec iudicat concupiscentiam esse peccatum, cum tamen lex dicat, Non concupilces.

Ita existimat se esse sine peccato, & sibi pœnitentia minime opus esse, putat se obsequium præstare Deo, cū Christum & Ecclesiam persequitur. Habet studiū Dei, sed non secundum scientiam, & ignorans Dei iustitiam, & propriam iustitiam quærens cōstitueret, iustitiæ Dei non est subditus, Rom. 10. Hæc enim iustitia iubet agnoscere peccata & ea deplorare & cōfugere ad misericordiã Dei promissam propter Christū, quæ misericordia fide adprehenditur, qua homo erectus, acquiescit in propiciatore.

Postea concludens descriptionem defectuum aut mutilationum Pharisaicæ iustitiæ, ait.

Quare apparet Paulum in iustitia Legali & Pharisaica  
. 1. esse sine pœnitentia & fide, seu notitia & fiducia Christi mediatoris, . 2. cū sit sine fide, nō est capax Spiritus sancti. 3.

Ideo



Ideo non est renatus & hæres Dei, & nulla nouitas vitæ, que regeneratione sequitur, in eo esse potest. 4. Neq; eius inuocatio vera esse potest, sed mera hypocrisis est. Quomodo enim non credens & Spiritu Sancto carens, Deum vere inuocare possit? Ita & successibus in sua vocatione caret, vult esse defensor circumcisionis & legis Mosaicæ, & ideo sæuitiã exercet in Christum & Ecclesiam. Sed quanto ille magis spirat minas & cædem aduersus discipulos domini, eò plures conuertuntur ad Christum. Et si eo tempore colaphos diaboli passus esset, quos post conuersionem tulit & vicit, facile à diabolo victus & euersus esset.

¶ Vbi autem hinc relinquis, bone frater, illum maximum defectum? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, & omnibus viribus tuis, ac semper &c.

Nunc audiamus Maiorem pergentem concludere peruram essentia iustitiæ Pharisaicæ.

Ita Paulus iustitia Legali seu Pharisaica tumens & fulgens, miserrimus est, & destituitur omnibus ijs bonis, quibus  
**IUSTITIA DEI PHARISAICAM SVPERAT.** Est enim primò sine pœnitentia. 2. sine fide. 3. sine

rectore



rectore Spiritu Sancto. 4. Non verè inuocat Deū. 5. Infœlix  
in uocatione. 6 Subiectus potentia, tyrannidi Diaboli ac  
maledicto legis, quo quid potest esse miserius? Et talis condi-  
tio omnium hypocritarum est, qui tua, non Dei iustitia con-  
fidunt.

Absoluta pictura mancæ aut mutilæ essentia iustitiæ  
Legalis aut Pharisaicæ, mox incipit ostendere omnes illos de-  
fectus aut mutilas partes, seu membra Pauli Euangelicæ iu-  
stitiæ restitutas cõlarcinataſq; esse, eòq; eam iam esse illã ple-  
nam seu abundantem & saluantem iustitiam Euangelij, quã  
Christus in saluandis requirit. Inquit enim.

Conſyderetur autẽ iam altera iustitia Dei; nẽpẽ, quæ  
post conuerſionem in Paulo est. &c.

Hic prolixè recenset, quomodo illæ sex deficientes par-  
tes ac prius mutila membra nunc sint restituta, factumq; sit  
integrum corpus iustitiæ iustificantis aut saluantis. Pergit  
autem id agere in eodem illo Pauli exemplo, sed quatenus  
conſyderatur iam post conuerſionem.

Qua parte absoluta, concludens Maior confert hanc  
sanatam & redintegratam iustitiam Euangelij aut fidei, cum  
illa mutila Pharisaica & repudiata, & hanc proponit ample-  
xandam, qua sola saluemur, hisce verbis.

Ita apparet, inquit, in Paulo, quibus & quot rebus Dei  
seu fidei iustitia, Pharisaicam iustitiam superet, nẽpẽ, (vt  
supra dictum est) pœnitentia, fide, nouitate Spiritus, vera in-  
uocatione, successibus, inuocatione, & victoria cõtra diabo-  
lum, peccatum & mortem, quibus bonis omnibus Pharisa-  
ica aut Legalis iustitia destituitur.

Vbi autẽ manet, bone sodalis, illa imputatiua ac pror-  
sus extra nos existens iustitia, aut meriti Christi imputatio,  
quæ sola est abundans, & qua sola coram Deo iustificamur &  
saluamur? Hic enim tu eam in vniuersum ex iustitia fidei aut  
saluante excludis.

Deniq; , ne quis putet eum egisse in præcedentibus de  
iusti-



iustitia bonorum operum, aut nouæ obedientiæ, quæ iustificationem sequatur, hîc de ea incipit agere, posito hoc titulo.  
De iustitia bonæ conscientiæ,

Cum autem dicit Paulus, nihil mihi conscius sum, sed per hoc nō iustificatus sum, loquitur de vita & actionibus suis post conuersionem seu regenerationem.

Sequitur integra descriptio tertiæ, aut operariæ iustitiæ seu nouæ obedientiæ, quæ post iustificationem aut renascentiam in pijs sequitur,

Hinc igitur liquidò cernis pie lector, Maiorem collocare iustitiam fidei aut iustificantem & saluantem in motibus ac virtutibus in nobis existentibus, nempe, in iustitia Phari-  
saica, seu disciplina, & illis lex rebus, quæ Phari-  
saicæ defunt, ceu præcisæ aut mutilæ partes, nempe. 1. pœnitentia. 2. fide 3. nouitate Spiritus. 4. vera inuocatione. 5. successibus in uocatione, .6. victoria contra diabolum & mortem. Obserua etiam diligenter, quòd istam iustitiam dicit esse IN homine, non extra, sicut de Imputatiua synceri doctores & Ecclesiæ nostræ docent. Deniq; obserua, quòd ex istius saluantis aut abundantis iustitiæ descriptione prorsus iu-  
putatiuam Christi iustitiam excludat.

Vnde etiã illud ibi liquidò patere potest, Maiorē non per dormitantiam aut incuriam quandã, in Disp. super Rom. 10 incidisse in tales descriptiones iustificantis iustitiæ, quòd sit idem, ac inhærentes virtutes: Sed data opera, studio, ac perseverante sententia, aut errore.

Eandem hanc plusquam Papisticam definitionem, aut essentiam iustitiæ fidei, etiã in prima parte Postillæ super Euang. hoc anno editæ, repetijt, Sic enim fol. 271. scribit.

Hæc est iustitia in nouo testamento, credere, quòd propter filiū Dei accipias remissionē peccatorū, iustitiā & vitā æternā, & petere & expectare bona æterna ab hoc Domino, sacerdote, pontifice, & pastore nostro, ducēte nos miseræ oues ad patrē, & hac fide se ei subijcere & obedire in calamitatib. & certò ab eo expectare liberationem.

H



Eundem suum errorem inculcat hic artifex etiã 2 Cor.  
3. ait enim: Quod vero dicitur in Exodo, Moysen amouisse  
velamen ingredientem ad Deum, & loquentem cumeo, &  
completum esse luce diuina, significatum est, aliam esse iusti-  
tiam, qua Deo simus accepti, & qua Deum sustinere possi-  
mus, scz quando filius loquens in nobis, communicat nobis  
suam lucem. Ita velum legi detrahitur, & tollitur hypocri-  
sis, & sunt in nobis iustitia & vita, quam lex describit, sed non  
exhibet, verum filius Dei exhibet, ideo hinc inquit Paulus, ve-  
lum aboleri per Christum.

Hinc animaduertere licet, Maiorẽ subinde eò recur-  
rere vt affirmet, iustitiã fidei aut iustificantẽ esse ipsas infu-  
sas, aut inherentes virtutes, quod cũ Sophistarũ iustitia con-  
sonat, multoq; deterius est, quã præsentium Papistarum,  
qui iam in hac parte aliquanto tolerabilius loqui cœperunt.  
Hic idem error etiam in isto superbo Corpore doctrinæ satis  
erasse ac copiosè reperitur. Nam in doctrina de iustitia & iu-  
stificatione peccatoris, quod est primarium & hoc tempore  
maximè controuersum caput, multa parum explicatè, mul-  
ta incommodè, magis etiam peruersè dicuntur, de quibus  
ordine agemus.

Ac primum quidem recte dicunt Loci in capite de con-  
silijs, quod ex ignorantia iustitiæ Euangelicæ multi errores  
exorti sunt? Sed illud contra est dolendum, quòd cum sit tam  
necessaria huius tantæ rei cognitio, nusquã tamen in toto hoc  
tam vasto & tumido Corpore doctrinæ, aliqua plena, perspi-  
cua, solida & exacta definitio iustitiæ aut iustificationis Euã-  
gelicæ proponatur, tantum vox iustificatio grãmaticè bre-  
uiter exponitur. Multò vero minus omnes causæ alterutri-  
us proponuntur, ex quarum tamen cognitione rectè dicunt  
eruditi, rei ipsius solidam notitiam constare.

Hunc tantum defectum aut dormitationem tam glori-  
osi corporis, quis ferat in tanto opere, tam superbo titulo sese  
ostentante, & omnibus Ecclesijs, vt infalibilis oorma veri-  
tatis



tatis proponendo? Certe tum in ipsis locis, tanquam opere Methodum professio poni istę definitiones iustitię & iustificationis tam principalis rei debuissent, tum profectò & in definitionibus, quas post examem adiecit, tanquam rerum maximè necessariorum ac visitatarum.

Nou solum autem caularū iustitię enumeratio & vera definitio per somnolentiam, aut etiam aliud consilium ommissa est, sed insuper etiā falsa definitio inserta, præsertim in capite de Policio Magistratu, vbi hæc sunt verba: Iustitia, de qua concionatur Euangelium, est lux in corde, quæ fide & agnitione Iesu Christi mentes accendit ad verā Dei inuocationem, & alios pios motus Legi Dei cōgruentes, & inchoat vitam ternam. Quæ definitio vel Osiandristarum substantialem, vel certè Papistarum inhærentem iustitiam exprimit. Tametsi admodum crebrò & in hoc Corpore doctrinæ, & in alijs suis scriptis, præsertim in Disputatione recens cū commentario in Timoth. edita, inclinēt ad iustitiam inhærentē, eamue cum imputatiua coniungat. Quare in hac parte ac errore planè in eodē luto heret Corpus doctrinæ, in quo Maior, ac perinde vitandum est.

Vicinum huic ac non minus tetrum est, quòd admodū crebrò in hoc Corpore doctrinę, præsertim in locis, in capite Euangelij & libertatis Christianæ, remissio peccatorum à iustificatione aut iustitię imputatione distinguitur, qui error prolixè est contra Osiandrum refutatus, & pugnat cum ipsis locis, qui alibi dicunt, iustificationē significare remissionem peccatorum.

Sic & in Examine nimis incommode, aut etiam non sine errore describitur iustificatio: Sic enim verba eius sonāt. Ideo iuxta Paulum semper hoc modo definimus iustificationem, iustificatio est acceptio remissionis peccatorum, & recōciliationis, seu acceptationis gratuite propter filiū Dei, quæ cū fide accipitur, verissimū est simul filiū Dei corda viuificare, dicere cōsolationē in cordib. per Euangel.; & S. S. accendere tales motus, qualis est ipse.

H. 2. Quid.



Quid tandem sibi ista locutio vult, est acceptio acceptationis, præferim in definitione, vbi in primis perspicuè loquendum est?

Aliquantò post etiã multò clarius iustificationem partim in imputatiua, partim in infusa iustitia collocat, inquit: Cumq; erigimur fide, & accipimus remissionem peccatorũ, filius Dei verè est efficax, & voce Euangelij dicit consolationem in cordibus, ac fide simul accipimus imputationem iustitię seu reconciliationẽ, & Spiritum Sanctum, & efficimur hæredes vitæ æternæ, gratis, propter Christum. Hæc omnia cõpræhendit dictum: Iustificati fide pacẽ habemus. Et Gal. 3. Vt promissionẽ spiritus per fidem accipiamus. Et Rom. 5. Iustificati sanguine ipsius, seruabimur per eum ab ira eius. Huc adiungantur alia testimonia, ac præcipuè propositio Epistolæ Rom. cap. 3. & confirmatio cap. 4.

Hic quoq; primum coniungitur iustitia imputata cum inhærente, in vnã iustificationem, deinde separatur acceptio remissionis peccatorum, ab acceptione imputationis iustitiæ ac reconciliationis. Et deniq; in locis Pauli describentibus vnicam iustitiam fidei & iustificationẽ, tam multa inesse, conversionem, remiss. peccatorum, reconciliationẽ, imputationẽ iustitiæ, Spiritũ sanctũ, ac renouationẽ, & deniq; vitã æternã.

Sic foedè corrupta illa primaria loca Pauli de iustificatione, quid non parient errorum in cordibus lectorum? Obsecrò enim, quid hoc tandem aliud est, quàm perniciofa confusio beneficiorũ Christi, & obscuratio longè tristissima iustitiæ fidei & iustificationis? Quæ necessario lectorem ad infusam aut inherentem iustitiam tandem deducet.

Similia loca non pauca reperies in cõmentario epistolæ ad Rom. item in dispositione cũ cõmentarijs primæ ad Tim. superiore annõ editis &c.

Atq; hæctenus de primo errore in iustificatione, iam de secundo.

Secundus error Maioris in iustificatione est, quòd di-

cis



cit iustitiam, qua in hac vita iustificamur, esse absconditā, esse reuelandā, esse inchoatā, esse imperfectā, & in altera vita perficiendā, esse tantū in spe, & nōdū in re, & necdū esse apprehensam. Loca prolixa paulò antè, primū ex disp, folio 54, Deinde ex secūda Homi. parte fol. 56 citavi, vbi præter alia impia, hæ abominandæ voces cōtinentur. Quæ dicta iam repetere, nimis prolixum & penè superfluum esset. Tantum igitur id expendat Christianus lector, quòd talis doctrina sit contumeliola in filium Dei, eiusq; sacrosanctam passionem ac meritū, cuius iustitia nobis potenter imputata, nos ad plenū seruans, nosq; supra niuem dealbans, ab isto dicitur esse tantū inchoata, imperfecta, & in altera demum vita apprehendenda.

Eædem etiam istę blasphemix necessariò desperationis laqueum iniicient tentato, cōtrito, & moribundo peccatori. Quis enim sperare aut statuere potest, se imperfecta, & tantū inchoata, ac nondum apprehensa iustitia, perfectè corā Deo iustum, acceptum, reconciliatum, ac ad vitam æternam destinatum esse?

Non libet hīc prolixius immorari, aut huius horrendi erroris venenatā pestē, pro magnitudine exaggerare: Consideret modò ac expendat eā ipse Christianus frater attentius, nec tam exitiabile malum tam subito præteruolet, sicut nos breuitatis studio facere cogimur.

Tertius Maioris error in iustificatiōe est, quòd in disp. tern. H, & in secunda Postillæ parte tern. G. facit duas iustitias aut iustificationes, quarū altera in hac, altera in sequenti vita iusti simus futuri. Quæ doctrina est impia, cum propter alias causas, tum quòd valorem meriti aut passionis Christi, in altera vita abrogare videtur: & simul trepidis conscientijs laqueum desperationis iniicere, vtpotè sollicitè cogitantib., oportere se in altera vita aliam iustificationem querere. At Daniel dicit Meschiam in terras attulisse iustitiam æternitatum, id est, quæ perpetuo duret ac valeat, nosq; Patri cœlesti acceptos & gratos faciat. Et Paulus, quòd vno sacrificio nos



plenum saluet, Item, quòd sanguine suo mundatam ac lauatam Ecclesiam, sineq; omni macula aut ruga existentem patri sistat.

Non hoc eò dico, quòd putem quotidie nos, noua remissione peccatorum & applicatione meriti Christi in altera vita opas habituros, sed quòd semel sanguine agni loti & patri reconciliati, perpetuo ob hanc reconciliationem eidem grati acceptiq; erimus. Si de renouatione ac noua obedientia expressè locutus fuisset, potuisset hæc distinctio tolerari. Sed loquitur de iustitia iustificante, aut Deo nos reconciliante, cū ob semel hinc in terris factam reconciliationem, simus perpetuò patri accepti futuri.

Quare hæc quoq; pestis ac venenatum fermentum Maioris ex Ecclesia Dei, modis omnibus expurgari debet, & teneri, quòd vna vna victima hinc mundati & loti, in perpetuum etiam in altera vita mundi acceptiq; ob hanc semel factam reconciliationem erimus.

Quartus error Maioris in iustificatione est, quòd nunquam ei præponit renouationem, cū modis omnibus sit postponenda. Locus huius erroris perspicuus est in prima parte Epist. Postillæ fol. 162, & 163. Vbi primū ponit renascentiam, vt causam efficientem, Deinde recenset eius fructus aut effectus sese ordine consequentes. Affirmat igitur renascentiam primum efficere in nobis agnitionem peccati, contritionem & conuersionem, secundo efficere fidem & agnitionem Christi, quæ demum iustitiã seruatoris apprehendat.

Hæc inuersio & confusio præcipuarum partium Christianæ pietatis, plurima ac grauissima damna affert conscientijs, nempe enim (vt alia omittamus) eò rem deducit, tanquã renascentia & eius causa, id est donatio Spiritus Sancti non sint Christi beneficia, nec fide quærenda & accipienda, vt potè quæ omnem Christi cognitionem antecedant aut præueniant. Vnde & contumelia Christo seruatori porro oritur, & nobis tantorum donorum ac bonorum priuatio, qui ea per  
fidem



fidē nec queramus, nec accipiamus. Quin & Suenckfeldicum quiddam redolet hic error, tanquā ante & sine verbi Dēi cognitione renascamur. Vide ipse Christiane frater locū integrum, si nobis minus credis.

Quintus eius error iustificatiōis est, quod eā facit multipliciter incertam ac dubiam. Nam saepe requirit quasdam impossibiles condiciones, vt, cum in quarta parte Postillæ fol. 360 vsq; ad 288. contendit, tam esse necessariam seminatiōnē multarū virtutum, quas ille ibi prolixē recenset, ad messem a ternam, quā corporariam sementem ad hanc terrenā messem. Quid autē illi miseri peccatores metent, qui vsq; ad ultimam horam malē seminarunt, perditē viuendo? Loci integri postea adscribentur.

At contra scriptura comparat messem æternæ vitæ parato lautoq; conuiuio mendicantium, quò extrema ac miserissima fex hominum, id est, peccatorū compellitur intrare ad conuiuandum.

Sic fol. 230 acriter contendit, omnes saluandos oportere per crucē conformes fieri filio Dei, alioqui non fore saluos. At Deus non omnibus perinde crucē imponit: Illi porro, qui in extrema hora aut agone cōuertuntur, quando tandem sese per crucē Christo conformabunt? Exitialis prorsus est hic laqueus. Alioqui non negamus, omnes quibus crucē Deus imponit, debere eam constanter perpeti ac confiteri,

Fol. 233 & 234 valde contendit, perfectum & victoriosum certamen esse hominibus necessarium ad salutem. Alioqui eos non potituros vita. Quid ergo fiet de miseris peccatoribus, cum etiā iusti septies, id est, sepius in die cadant? Sententiæ quidē istæ ferri possent, si pateretur exceptionem remissionis peccatorum eis adijci, vt vincamus, si non prorsus irreprehensibiliter certando, at saltem per condonationē malæ pugnatæ pugna. Verū ille vult sine omni exceptione præstari istud inuictum certamen à saluandis, aut carere eos æternā gloria aut vitæ corona.

Sic &



Sic & in secunda parte Homel. tern. G, valde flagitat perfectum & absolutum quoddam certamen. Adscribam ipsum locum.

Quemadmodum ex his, qui in stadium descendunt, non multi coronantur, sed ad unum defertur corona, & non est satis tantum in spectaculo sedere, neque vngi tantum & certare: Ita & in hoc loco non satis est fidem habere, & quomodocumque certare: Sed nisi ita nos cursu exeruerimus, ut ad metam usque inuictos nos præbeamus, & perueniamus ad propositum præmium, nihil sane consequi poterimus. Et mox.

Postquam demonstravit operæ pretium esse, ut sese omnibus fratribus attemperent, deinceps iam horridius cum ipsis loquitur. Quod autem ait huiusmodi est: Ne existimetis quod simul atque credidistis, & in Ecclesiæ stadium ingressi estis, istud vobis ad salutem sufficiat, quemadmodum nec Olympicis cursoribus satis est currere. Verum necesse est ad ipsum usque brachium festinare, omniaque facere ut hoc assequamur &c. Et paulo post.

Quia quomodo illic, cum omnes intra stadium currunt, non nisi qui bene cucurrerit, dignus præmio iudicatur: Ita & hic, quamuis intra fidei metas cuncti credentes contineantur, soli tamen qui iuste vixerint, præmium cœleste percipient. Item hoc loco inter eos, qui in stadio currunt, per unum accipientem palmam, significat omnem, recte fidem tenentem & præcepta seruantem.

Oblecro an non sit hic ab isto magistro iustificatio prorsus incerta, cum prorsus impossibilem conditionem salutis a nobis exigat? Quid hac doctrina perniciosius, aut magis Papisticum?

#### ERRORES MAIORIS IN SOLA FIDE iustificante.

**D**octrinam de sola fide multipliciter corrumpit, de precipuis eius corruptelis ordine dicemus.

Pri.



Primum licet multum inculcet voculá Sola, tamē non raro alijs locutionibus eam tollit prorsus, vt in disposit. super Rom. clarè affirmat: nos simul fide & confessione iustificari ac saluari. Vnde necessariò sequitur, Ergo non sola fide. Verba eius hæc sunt:

Quomodo igitur inuocabunt eum, in quē non crediderūt? Supra docuit, quomodo beneficia filij Dei nobis sunt applicanda, fide nempe & confessione, cū inquit: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Nunc in hac gradatione cōcionatur de effectibus & fructibus fidei, & eius fonte seu origine. Hæc Maior.

Haftenus nostræ Eccl. siq̄ docuerūt & pugnarūt, contra Antichristū, quòd sola fide nobis applicemus seu apprehendamus Christum, cum suis beneficijs præsertim iustificatione ac salute, nunc Maior duo instrumenta applicatoria ex parte hominis reperit.

Sic & in conuersione Pauli, tern. b, scribit in margine, **Durch den glauben vnd gute werck bleiben wir in Gott /** Et in textu, **Ist es den beides war / das wir durch den glauben in Gott bleiben / vnd er in vns / vnd auch durch liebe? Ja es ist beides war.**

An non hīc Deū apprehendere, ac in eo manere dicimur, duobis instrumentis, fide & charitate, aut omnibus bonis operib., quæ erunt penè innumera instrumenta, tot nempe, quot possunt aut debēt esse in homine pio virtutes ac bona opera? Manere autē charitate & bonis operibus in Deo, est idem, quòd eum reconciliare, & eius beneficia applicare.

Eòdem prorsus pertinet, quòd idem contendit in sua conuersione Pauli tern. S. & Y. iustificationem per bona opera retineri. Nam & hoc significat instrumentū apprehensum seu applicaus. Per quod enim iustificatio aut remissio peccatorum accipitur, per id nimirum etiam retinetur, & vicissim. Nostræ autem Ecclesiæ, imò & sacræ literæ docent nos per solam fidem habere quotidie & omnibus horis aditū

I ad thro-



ad thronum gratiæ, & apprehendere, ac perpetuo retinere,  
dicendo: Remitte remitte debita nostra, & amplius, laua me  
à peccatis meis.

Huc referatur, quòd aliquoties inculcat, non satis esse  
scire, aut credere in Christum, nisi etiam bona opera accedat,  
sicut in prima epistolarum parte tern. x inquit, Nò satis est sci-  
re, hunc puerum tibi natum, nisi & tu, &c. Sic in quarta Postil:  
parte subindè inculcat eos, qui credere cœperunt, nondum  
accepisse vitã. Itè, nò esse satis credere & in via Christi currere.

Sic & alia innumera loca, vbi asserit perfectum cursum  
ac certamen esse necessarium, nec alioqui posse hominem sola  
fide, sine tam absoluto certamine seruari.

Hanc eandem doctrinam de pluribus instrumentis, ap-  
prehentibus gratiam, iustitiam ac salutem, etiã Lauterual-  
dius, à suo præceptore D. D. Maiore haustam, sparsit in me-  
tallicis Hungariæ ciuitatibus, cum ingenti multarum Eccle-  
siarum & conscientiarum perturbatione & interitu.

Quare gloriatur sanè & potestetur Maior, quantũ ve-  
lit, se docere, quòd sola fide iustificemur, & hanc voculã ma-  
iusculis literis vel millies scribat, tamen hæc & similia plura  
dicta contrarium testantur.

Sed solent sic impostores & seductores aliquando ali-  
quid in specie boni dicere, vt cum sibi bonis verbis fidem fe-  
cerint, eò facilius simplices ac pusillos Christi decipiant, &  
quod vna manu dederant, altera auferre, sicut Lutherus pię  
memoriæ, eos in libro conciliorum, *Gebers / Nemers* / vocat.

Sic & Corpus doctrinæ admodũ frigidè in locis parti-  
culam *Sola* attingit, tanquã ea non sit commune nostrarum  
Ecclesiarum dogma, sed tantũ pauci aliqui & ignobiles scri-  
ptores ea vtantur.

Secundus error Maioris in doctrina de fide est, quòd  
cũ hactenus nostræ Ecclesiæ docuerunt, ex Augustino, aut  
potius ex ipsis sacris literis, Totius fiduciæ certitudinem esse  
in solo pretioso sanguine Christi ponendã, iam Maior vult  
haberi fiduciam etiã in bonis operibus, præsertim in dilecti-



one, idq; perfecta, quam fiduciam vult etiam in extremo Dei iudicio necessariam esse aut valere, eaq; destitutos, æterna vita carituros, contendit.

Loci eius complures sunt, qui id doceant, Nam primū in eius Conuersione Pauli tern. á, inquit, **Niemand kan selig werden / er habe denn frewdigkeit / das ist / ein gut gewissen vor Gott vnd der Welt / am tage des gerichtes / durch den glauben aber vnd die liebe haben wir frewdigkeit am tage des gerichtes.**

In quarta porrò parte Epistolaris Postillæ, etiam prolixius hanc eandem necessitatem fiduciæ charitatis ad salutē iudiciumq; extremum necessariæ vrget ac flagitat, idq; addita atroci insectatione nostri & omnium aliorum, qui solius fidei Christū amplectentis fiduciam ad extremū iudiciū Dei esse necessariā sentiūt, ac docent. Et quò magis mirere hunc errorem, furorem ac spiritum vertiginis, tum demū tuetur, cum primum agnoscit, & disertè confitetur, nostram sententiam esse veram, & euidenti verbo Dei comprobata,

Adscribā autem, amplioris certitudinis gratia, aliquot eius dicta, ad verbum. Ac primū fermè initio prædicti libri, per tres integros terniones C. D. E. de hac re disserit, verba eius inter alia sunt hæc.

#### DE TERTIO LOCO.

Multos hæc forma sermonis offendit, quò dilectioni tribuit Iohan. fiduciā in die iudicij, cū certū sit, ex Christi & Apostolorū omniū testimonijs, illustribus & firmis, competere hanc fiduciam seu *παρρησία* soli fidei nitenti gratuita misericordia, propter mediatorem, per obedientiā eius promissa &c. Pergit porrò recitare testimonia verbi Dei, hanc sententiam confirmantia.

En audis Christiane frater, ex proprio Maioris ore, quòd serid agnoscat & cōfiteatur, nostrā, imò Christi doctrinam, quòd fiducia ad tribunal extremi iudicij afferenda, soli fidei, meritū Christi apprehēdēti debeat. At nūc audi manifeste cōtrarium ab eodē asseri, Nā fol. 7. & sequentib. sic scribit.



Imò fiduciã cœptæ conuersionis veræ & non simu-  
latae adferre singulos, ad constitutum iudicij diem oportet.  
Quia duæ viæ immutabiles hominibus propositæ sunt, pri-  
mum, vt in hac vita fiat conuersio, & postea sit iudiciũ, iuxta  
dictum Heb. 9. Omnibus hominibus constitutum est semel  
mori, deinde iudicium. Et ad iudicium, inquit Iohannes, ve-  
niendum est cum fiducia, cœptæ in hac vita conuersionis, nõ  
simulatae. Quia non adferenti huc fiduciã via alia media non  
relinquitur.

Habemus autem fiduciam certã & indubiam (scz per-  
fectæ charitatis, de qua ex Iohanne agit) cum initia conuersi-  
onis lucere in nobis & exerere sese veris fructibus incipiunt.  
Nã & cõuersio sic ordinata est, vt exerat & ostendat se fru-  
ctibus pœnitentia dignis, qui & á nobis ipsis & ab alijs senti-  
ri & conspici possunt. Ideo inquit Iohannes. In hoc perfecta  
est charitas nobiscum, vt fiduciam in die iudicij habeamus,  
&c. Aliquanto post.

Vociferatur quidã impostor (apposito in margine Illy-  
rici nomine) Antinomorum recentiu Antesignanus & ma-  
gister, eripi conscientijs certitudinem & consolationem om-  
nem, si postuletur obedientia seueritate tanta, vt dari vitam  
æternam negemus, non habenti hanc veræ cõuersionis, fidei  
& bonæ conscientia gloriã ac fiduciam, qua lætus prouo-  
care ad iudicium Dei, & expectare iudicij diem cum alacrita-  
te quadam possit.

Quæ, inquit, certitudo erit miseri hominis, qui scelerũ  
sibi cõsciũs, & hærens in pœna iusta vel strangulatur in paci-  
bulo, vel supplicio alio afficitur? Alibi atrociora alia & ipse &  
manipulares eius affingunt, & horribilia anathemata crepant  
vt hoc debitum necessarium deleant.

Sunt cõplura huius generis prolixa dicta Maioris ibi,  
quæ breuitatis studio omitto.

Sub initium tern. G. iterum eundem errorem inculcat,  
vnde etiam vnam aut alteram lineam abscribam.

Necessa-



Necessaria igitur est in die iudicij, Fides & Fiducia, quòd sicut ille (Deus) est iustus &c. Ita & nos simus imputatione & inchoatione iusti, sicut hæc alibi explicantur. Vbi simul corrumpit iustificationem, & doctrinam de Sola Fide.

Priusquam autem magnitudinem huius erroris exposuerimus, vel eum confutauerimus, hoc solū diligenter expendi cuperemus, teq; Christiane frater oramus, vt sedulò consideres, an etiam mentis compos iste bonus doctor fuisse videatur, cum talia scripsit.

Nam primū clarè & valde significantibus verbis, idq; initio noui tituli ac capitis, non tantum conficitur, sed etiam seriò affirmat, fiduciam in die iudicij oportere tribui soli fidei respicienti in meritum Christi. Nec id solum affirmat, sed id insuper magnificè testatur, hoc idem asserere Christū ipsum & eius Apostolos, idq; admodum illustrib. testimonijs, & deniq; ait, hanc doctrinam multis offendiculum parere. Hæc enim eius sunt splendida verba, vt ea, quamuis & antea citauerimus, nunc denuo repetamus.

### DE TERTIO LOCO.

**M**ltos hæc forma sermonis offendit, qua dilectioni tribuit Iohannes fiduciam in die iudicij, cum certum sit ex Christi & Apostolorum omnium testimonijs illustribus & firmis, competere hanc fiduciam seu *ὑπερβολή* soli fidei nitenti gratuita misericordia propter mediatorem & obedientiam eius promissa: sicut Paulus expresse inquit &c.

Similem disputationem, quòd tota fiducia Christo debeat, reperies in hoc eodem libro, folio 379. initio Bb.

Pergit autem hinc Maior grauisimis testimonijs verbi Dei hanc sententiam, verissimumq; (vt ipsemet suo ore fateatur) dogma Christi & omnium Apostolorum, illustribus testimonijs approbatum, confirmare, quòd videlicet soli fidei Christi meritum apprehendenti, fiducia ad extremum iudicium



ei<sup>us</sup> afferenda debeatur. Quod obserua & expende summa diligentia: Mox enim contraria ex eiusdem ore audies.

Tale enim & tam immotū fundamentum cœlestis veritatis, cum iecerit, & indubitanter asseruerit, mox directe cōtrariū idq; sine omni fronte incipit ardentem affirmare, quod videlicet non tantum fidei aut merito Christi, sed & charitati, idq; perfectæ, talis fiducia ad extremum iudicium affeenda omnino, ac citra omnem exceptionē aut mitigationem debeatur, idq; tam immota necessitate, vt qui talem charitatis fiduciam non attulerit ille nullo modo sit æternam vitam consecuturus, Vt eius propria verba supra prolixius citauimus.

Si hoc non est palpabilis furor aut potius spiritus vertiginis, obsecro quid tandem est aut esse potest? Duas cōtradictorias non simul posse esse veras, etiam in minimis rebus, omnium gentium ac linguarum consensu, indubitatum est? At iste eximius Rabbi noster, postquā ex ore Christi & omnium Apostolorum indubitanter asseruit, soli fidei hanc fiduciam extremi iudicij deberi, mox incipit disertē cōtrariū, quod etiam charitati debeatur, horribiliter alios lacerans & proscindens vociferari.

Monstrata igitur hac fœdissima & palpatissima cōtradictione, aut potius spiritali vertigine Maioris in hoc tanti momenti dogmate, iam citra omnem exceptionē vebementissimè asserto, & mox furenter damnato, nunc expendamus magnitudinem & pestilentiam huius dogmatis, simulq; aliquā eius refutatiunculam adijciamus.

Primum enim adimit Christo eiusq; merito ac passioni suam gloriam. Ille enim solus est nostrum vmbraculum aut propitiatorium, solus thronus gratiæ apud patrem, ille solus est suspensus in ligno serpens, qui nobis certa fide ac fiducia intuendus est, si à morfu veteris serpētis sanari volumus, deniq; in illius solius pretioso sanguine, teste Augustino, totius fiduciæ certitudo sita est & esse debet. Solus enim ille vnica  
spes



spes ac salus nostra est. Nec est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo eos confidere oporteat. At cōtrā quicquid nostrae imperfectissimae charitati aut bonis operibus tribuitur, id Christo, eiusq; imputatiuae iustitiae necessario auferretur.

Secundo, illud hoc errore efficitur, vt iam fides nostra non solo Christi merito, sed etiam nostra propria perfecta q; charitate, ac bonis operibus, in extremo iudicio & in accessu ad Deū nitatur. Imò sic tolleretur prorsus doctrina de sola fide iustificante, & redibitur ad illud Maioris super Rom. 10 capite, nos fide & bonis operibus simul nobis applicare iustitiam ac salutem.

Tertio adducit in ineuitabilem desperationem omnes miseros peccatores, qui in extremo articulo conuertuntur: Nec tantū illos, sed & alios, qui tentantur & contriti vexantur à Satana, qui profectò, cum non sentiant tantam operum in se quantitatem aut abundantiam, quanta (si credere fas est) in Maiore exuberat, necessario fiducia ista destituti, desperabunt.

Quarto, Maior hinc simpliciter omnem omnium mortalium salutem tollit. Contendit enim dictum Iohannis docere, quòd perfecta dilectio sit necessaria ad fiduciam in iudicio Dei, adeo sine omni exceptione, vt qui eam non attulerit, non sit futurus saluus. Vbi enim est in vllò hominū in hac vita, perfecta dilectio Dei? aut quis ille hominum tam confidens aut sagax erit, qui etiam si haberet perfectam dilectionem, possit id ita certo agnoscere ac statuere, vt inde haustā fiduciam possit & ausit ad illum seuerissimū iudicem afferre, imò & confidenter eò tali bonorum operum fiducia fretum prouocare, vt Maior gloriose iactat?

Quare hac quidē ratione nulli mortaliū salus contingere poterit. Nec est cur respiciamus in sophismata Maioris, qui, quo facilius imponat, pro perfecta dilectione, alia leuiora & pausibilia vocabula hinc proponit, modo dicens initia conuersionis, modo renouationis ac sanctificationis, seu fiduciam esse necessariam ad extremum iudicium & salutem.

Nam



Nam tentatæ cōscientiæ non tam quærent aut respiciunt varias inconstantes & sibi met cōtrarias glossulas Maioris, quarum profecto ipsemet earum faber numerum & harmoniam nullo modo nouit, sed id tantum respiciunt & desperabundè cogitant quòd semel ab eo sunt persuasæ, Iohannem docere, perfectæ dilectionis fiduciã ad extremum iudicium afferendam, & ad salutem modis omnibus necessariam esse.

Quinto, tollit hac doctrina Maior ipsam remissionem peccatorum aut debitorum. Contendit enim ad eò necessariã obedientiam esse, seu bona opera, vt sine huius debiti persolutione nemo saluari possit. Quare & nos grauissimè accusat, quòd doctrinæ eius resistamus, ac inter alia, hisce quoq; verbis contra nos vociferatur, inquit. Alibi atrociora alia & ipse & manipulares eius affingunt, & horribilia anathemata crepant, vt hoc debitum necessarium deleant.

Iam cogitet Christianus homo, qualis sit hæc doctrina, quæ ad eò non admittit remissionem aut condonationem debiti obedientiæ, vt contendat, sine eius persolutione esse planè impossibile seruari? Non dicimus aut diximus vsquam Euangelium condonare debitum futuræ obedientiæ, aut dare licentiam peccandi, sicut impij de nobis fingunt: Sed dicimus & asserimus, quòd quodocunq; ingemuerit peccator, omnium eius præteritorum debitorum, obedientiæ aut bonorum operum non præstitorum, Deus amplius non recordabitur, eòq; non habita vlla rarione debiti, necessitatisue bonorum operum seruabitur.

At Maior cōtrà vociferatur, esse impossibile, hūc ordinem aut debitum bonorum operum tolli, aut quemquã saluari non afferentem bona opera, aut solutionē huius debiti, imò & fiduciam huius solutionis, aut præstitæ perfectæ charitatis, ad extremum iudicium omnino esse afferendam contendit.

Sexto profus abolita nostra doctrina, totum Papatum corrupto articulo iustificationis & bonorum operum restituit.



tuit, imò & quiddam deterius. Nam nunc Papistæ nõ vrgene  
necesse esse fiduciam asserre perfectæ dilectionis ad tribunal  
illius summi iudicis, sed solius meriti Christi, verum nihilo-  
minus ita, vt Christus nos iustificet nõ sola imputatione, Sed  
etiam renouatione ac virtutum infusione.

Hæc de magnitudine & pestilitate huius erroris. Nolu-  
mus enim prolixius in hac parte immorari, Nolumus etiam  
Testimonia verbi Dei citare, quod fiducia in extremum iu-  
dicium afferenda, conueniat soli fidei, intuenti Christum, nõ  
autem vllatenus nostræ charitati, perfectæ aut imperfectæ.  
Quia ipsemet Maior confitetur id Christum & omnes Apo-  
stolos multis ac illustribus testimonijs asserere. Certe David  
à tali fiducia ac iudicio Dei supplex prouocat inquiring: Non  
intres in iudicium tuum cum seruo tuo Domine, quia nõ iu-  
stificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Solum igitur dicemus de ipso loco. i. Iohan. 4. Quæ iste  
tam importunè contra nos vrget, monstrabimusq; , nihil eũ  
penitus pro istius venenato errore facere.

Verba ipsa Græcè sic habent. *Εν τῷ τριπλίωται ἡ  
ἀγάπη μετα ἡμῶν ἵνα παρέσθαι ἔχωμεν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς  
κρίσεως.* Latinesic citat iste: In hoc perfecta est charitas nobis  
cum, vt fiduciam in die iudicij habeamus.

Hæc verba tantundè Maiori sonare aut exprimere co-  
guntur, ac si diceret Iohannes, cum isto Rabino, perfecta di-  
lectio est necessaria ad fiduciam in extremo iudicio, aut per-  
fectæ dilectionis fiducia est necessaria ad extremum iudicium  
& salutem.

Verum Iohannes nihil planè huiusmodi dicit, Nam  
nec dicit charitatem esse causam aut quoddam antecedens fi-  
ducia ad extremum iudicium necessaria, multò minus, cha-  
ritatem ad talem fiduciam aut iudiciũ necessario requiri, aut  
impossibile esse, sine ea quenquã seruari, aut vllum vnquam  
seruatum esse.

Ac nec ipsũ quidè Græcũ textũ iste eximius Rabbi vel me-  
diocriter expendit, Quod explicatis ordine. K. fin-



singulis vocibus liquido ostendemus, Nā ἐν τῷ τῆ τελειωτικῆ  
nō est nomen τελεικ, aut participium τετελειωμῆκ, sed verbū,  
nec significat in eo esse integram, plenam aut absolutā cha-  
ritatem, sed significat perfici, absolui, consummari, aut syn-  
ceram fieri, Non, inquam, rei qualitatem aut quantitātē, sed  
motum ad talem terminum indicat, quasi dicas, inde nasci &  
augeri charitatem.

Præpositio quoq; cum suo pronomine ἐν τῷ non si-  
gnificat simpliciter in aliqua re aliquid esse aut existere, sed i-  
dem prorsus valet, ac voculæ hinc, ex hoc, aut per hoc, sicut  
illa præcedentia & sequentia ipsius Apostoli exempla. In hoc  
cognouimus dilectionē, in hoc cognoscimus, quod maneat  
in nobis, ex spiritu, quē dedit nobis. In hoc cognoscitur Spi-  
ritus Dei, in hoc manifesta est dilectio Dei erga nos, in hoc  
scimus, quod in ipso maneamus, in hoc scimus, quod diliga-  
mus filios Dei, & similibus.

In quibus omnib. exemplis, illud, in hoc, idem valet,  
ac ex hoc, per hoc, hinc. Et indicat illud, in hoc fontē, causam  
aut originem sequentis actionis aut motus, vnde veniat illa  
cognitio, manifestatio, absolutio dilectionis, aut quæ eius sit  
causa vel scaturigo. Quod hic quidē solo pronomine, in hoc,  
indicatur, sed mox integra oratione describitur.

Sensus autē ac propria versio huius loci & prioris mē-  
bri est, hinc, ex aut per hoc est expleta aut integra facta cha-  
ritas nobiscum: perindē prorsus, ac si diceret, oritur, perfici-  
tur aut absoluitur nostra dilectio Dei.

Sequitur posterius membrū, ἵνα παρρησίαν ἔχωμεν ἐν  
τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως, seu (vt ille latinè recitat) vt fiduciā ha-  
beamus in die iudicij Vbi vocula ἵνα somnolento postillatori  
imposuit, putan i eam significare idē quod vt, & accipi τελι-  
κως, indicare causam finalē aut effectū præcedentium, vt pla-  
nē idem valeat, quod cum, quando, postquā, ac indicet cau-  
sam efficientem, seu originem ac scaturiginē dilectionis, quā  
supra solo pronomine demonstratiuo, in hoc, indicat.

Ne au-



Ne autem fingere quid aut violenter torquere textum videamur, exempla huius significationis ex eodem Iohanne proferemus. Iohannis 16, habetur, sed venit hora, ἵνα, ut omnis interficiens vos, putet se sacrificium offerre Deo: Vbi ἵνα, ut, nullo modo causam finalem indicat, sed prorsus idem, ac vocolæ, cum vel quando, venit hora, cum putabunt se rem Deo gratam facere interficiendo vos. Sic in præcedente capite, Maiorem charitatem hac nemo habet ἵνα, ut ponat animam suam pro fratrib., vbi ἵνα ut, nullo modo causam finalem indicare potest, sed idem valet, ac cū aut quando. Quando posuit aliquis animam suam pro fratribus suis, summam charitatem præstitit.

Et sanè ibidem admodum illustre exemplum est, & per omnia huic nostro, de quo iam controuertitur, cōueniens, In hoc est glorificatus pater meus, ἵνα, ut fructū multū feratis, pro eum multum fructū tuleritis. Estq; propriissime hic sensus, & verissima huius dicti versio: Ex eo, aut per id glorificatur pater meus cœlestis, cum fructum multum tuleritis.

Sicut & ipse Christus inquit. Sic luceat lux vestra, ut pater vester qui in cœlis est. Bona opera & præclari fructus Apostolorum sunt causa glorificationis Dei, non contrā.

Vt verò etiam magis natiuus loci sensus & verborum natura conspiciatur, cōferemus hæc duo dicta Iohānis Græcè & Latine: Εν τῷτῷ ἐδοξάσθη ὁ πατήρ μου, ἵνα καρπὸν πολλὸν φέρητε. Εν τῷτῷ τελεῖται ἡ ἀγάπη μὲθ' ἡμῶν ἵνα παρήκοίαν ἔχωμεν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως. Latine appositissime sic reddideris. Ex eo, aut per id glorificatur pater meus, cum fructum multum fertis, & discipuli mei estis. Ex eo oritur ac perficitur charitas in nobis, cum fiduciam in die iudicij habemus aut concipimus.

Atq; hic sensus non tantū ipsis loci verbis conuenit, ac fidei est analogus, sed etiā passim in sacris literis inculcatur, præsertim in hac ipsa epistola, quòd fiducia in Deum gignat in nobis ardentē eius dilectionē, quòd dilectio Dei causa sit nostræ dilectionis, nō cōtrā.

**K** 2

Sic



Sic in hoc ipso. 4. capite primę Iohannis antea & post hęc  
sententiam habetur. In hoc est dilectio, non quod nos dilexe-  
rimus Deum, sed quod ipse dilexit nos, Et mox post contro-  
uersam sententiã, Nos diligimus, quia ipse dilexit nos.

Non igitur fiducia bene consistendi aut vincendi in ex-  
trema die progreditur ex nostra sordida & manca dilectione,  
sed contra dilectio nostra erga Deum vehementer ex eo au-  
getur, cum certam fiduciam habemus aut cõcipimus viuen-  
di aut vincendi in extrema die. Sic & Paulus Rom 8. Ex fidu-  
cia victorię in iudicio Dei exultat, Deũ complectitur, amat  
ac celebrat.

Hic nos optimo iure possemus vel deplorare for. e Ec-  
clesię ac verę Religionis, vel etiã corruptelarum patronos,  
atq; adeo hunc ipsum coram Deo totaq; Ecclesia accusare,  
quod tã temerẽ atq; adeo sacrilegẽ ausit, dicta Spirit. Sancti,  
nihil prorsus pro ipso facientia corrumpere, & inde tam hor-  
rendos errores extruere, quos nec ipsi quidem Papistę nunc  
audent asserere, sed in solum Christum omnem fiduciam col-  
locandam esse docent.

Et ultra hęc omnia in hac tam violenta corruptione  
textus, nihil prorsus pro ipso facientis, & tã horrendo erro-  
re audet non solum contemnere omnes monentes, sed etiam  
diris inuectiuis eos inuadere ac lacerare sicut in hoc ipso loco  
contra Illyricum impuro ore vociferatur: Dic impostor &  
sycophanta scelerate. hęc à Iohanne scripta non esse. Dic nõ  
esse receptam hanc in Ecclesia, Iohannis Epistolam, quã Ca-  
nonicę titulo insignierũt sanctissimi Ecclesię doctores. Dic,  
vt pro tui ingenij audacia & malicia soles, & audes omnia &c.  
Increpet te Dominus Iesus, & resistat corruptelis tuis sedu-  
ctor audacissime.

Diximus aliquanto prolixius de hoc errore Maioris &  
dicto Iohãnis, quia maximi momẽti res in eo agitur, & multi  
in huius loci expositione à genuino verborũ sensu aberrarũt.

Tertius error est, quod damnat, veram ac salutarem fi-  
dem,



dē, merita Christi, instar mendicæ manus apprehendentem,  
& pro ea prorsus fidem formatam charitate & alijs virtuti-  
bu substituit. Quod autē damnet fidē, quā dicimus esse no-  
uitiam, desiderium & fiduciam promissionis, quæ nō sua ma-  
gna aliqua bona opera habet. offert aut affert, sed sit nuda ac  
egena, inq; alienum thesaurum respiciens, inde mendicet, te-  
stantur eius verba, quæ paulo post adscribā. Nunc quomo-  
do suam fidem formatam depingat, citatis eius proprijs ver-  
bis, audiamus ex prima parte Epist. Postill. folio 160.

Non enim satis est scire hunc puerū tibi natum, nisi &  
tu per illum renascaris, & fias filius & hæres Dei, & cohæres  
huius fratris tui, Domini nostri Iesu Christi: Sicuti hoc tem-  
pore multi sunt, qui ipsis fidem sine renascentia & nouitate  
singunt. Et iam exurgunt quidā Doctores Ecclesiarum, qui  
affirman, fidem sine dilectione, hoc est, sine renascentia pos-  
se esse id quod etiam Antinomi docent: Sed cū Paulus de fide  
iustificante loquitur, loquitur de ea, quæ per dilectionem o-  
peratur, quia fides nō est res mortua, sed lux à Spiritu Sancto  
accenta in corde, quæ inenarrabilem amorem Dei, donantis  
nobis vnigenitum filium agnoscit, & in hoc amore Dei, ac fi-  
lio donato acquiescit, per quem scimus placatum patrem, &  
propter hunc filium remitti nobis peccata, & nos hæredes et-  
se vitæ æternæ, cū qua luce simul ingens in nobis flamma a-  
moris Dei & proximi accenditur in corde, ita vt veterem ho-  
minem cum suis concupiscentijs exuamus, & induamus no-  
uum hominem, qui iuxta Deum conditus est, per verā, non  
simulatam iustitiam & sanctitatem.

Hic nouus homo est puer nobis natus, Dominus Iesus  
Christus, quem si fide vera, non simulata induisti, ille rursus  
te regenerat.

Quid quæso hoc aliud est, quam fides non tantum cha-  
ritate, sed & omnibus virtutibus ac bonis operibus formata?  
Tali nos fide iustificari, facile ac libenter omnes Papistæ con-  
cedent. Obserua autem hic simul, quod nō tantum fides, sed  
K 3 & alia



& alia bona opera aut virtutes, totusq; nouus homo iustificationi præponatur, contra dictum Augustini, inò & omnium nostrarum Ecclesiarum doctrinã, Bona opera sequi iustificatum, non præcedere iustificandum.

Obserua etiam, quòd cõfundat puerum nobis natum, id est, ipsum Melsiam, cum nostra nouitate, vnde etiam necessario confusio iustitiæ Christi aut imputatiuæ, seu ipsius personæ Christi cum inhærente sequetur.

Audimus porrò diserte, fidem formatam charitate & renascentia describi. Non est quidem dubium verã fidẽ post iustificationem complecti Spiritum sanctum & renouationẽ, ac bonos fructus facere, nec quisquã quod sciamus, hoc negat: Sed quòd iam tunc, cum fides apprehendere debet iustificationem, sit hisce tot virtutibus & ornamentis vestita, hoc non concedimus. Quin etiam dicimus hoc contra nostrarum Ecclesiarum & sacrarum literarum doctrinam esse.

Quòd porrò hîc Maior clamat, nõ esse satis scire Christum natum esse, ac nec hoc quidem, vt singuli sciant ac statuunt, cum sibi natum esse, nisi etiam renascantur, seu vt ipse met mox exponit, habeant dilectionem, hoc omnino statuimus, esse fidem formatam, & commixtionem iustitiæ imputatæ cum inhærente. Quem errorem etiam clarius ostendunt ac produunt illa sequentia, quòd affirmat, puerum nobis natum Dominum Iesum, esse illum ipsum nouum hominem in nobis, per Spiritum S. generatum ac formatum. Hac enim figuratone sermonis disertissimè meritũ aut iustitiam Christi, in nostri renouatione nostrisq; nouis virtutibus ac noua obedientia collocat.

Similis formatæ fidei descriptio, habetur etiam in tertia parte tern. Bb. Vbi fidem iustificantẽ ita descripsit, vt eã omnibus virtutibus & bonis operibus ornet ac formet, & acerbissimè flagellat longa atrociq; insectatione Illyricũ, qui docuerit fidẽ iustificatẽ esse proprie quãdã medicã manũ, Christi benedicti



sti beneficia ac promissiones precario apprehēdētē. Tali forma fide, nūquā negabūt Antichristi mācipia nos iustificari.

Disputationis autē huius seu accusationis Illyrici hæc est causa, & occasio. Quòd cum quidam pro necessitate bonorum operū ad salutē citassent illud Ioelis & Pauli dictum: Quicumq; inuocauerit nomen Domini, saluus erit, Illyricus ostendit, ibi doceri, quòd tantum mendicitate fidei saluemur, non autem bonis operibus, eaque vllò modo esse ad salutē necessaria. Certaminis igitur huius scopus est, quid sit fides iustificans, nū nuda & mendica quædā manus aut quædā gloriōsissima perfectio, quæ quasi ingens copiæ cornu afferat tam variorū bonorū operū ad salutē necessariorū, seu sit formata dilectione, alijsq; amplissimis virtutib. Verba eius sunt hæc:

Sed saluabitur inuocans, hoc est, fide accipiens promissionem oblatā, & in ea acquiescens, & fiducia huius promissionis ad Deū accedens, & inuocatione clamans, Abba pater, subiiciens se Deo, & diligēs eum, & iuxta promissiones diuinas expectans eius auxilium & liberationē, & obediens Deo, in fide & bona conscientia.

Hic penes omnes pias mentes iudiciū est, an nō ingens & numerosus chorus maximarum virtutum & bonorū operum & sequentium simul comprahendendus sit, & an non ipsa fides & inuocatio sint excellētia bona opera? aut quomodo alterutra harum, sine multis alijs excellentibus operibus ac virtutibus esse & existere in credente, conuerso & iustificato possit? significat igitur Propheta, fidē nō mortuam, non otiosam aut dormitantem, non somniū fidei, quale Antinomi comminiscuntur, abolita lege, sed significat firmā & efficacem fidem, exerentem & exercentem se in his summis & difficillimis, optimisq; operib. accessus ad Deum, & inuocationis & vniuersę obedientię.

Sed hæc omnia recens turpissimus quidā Antinomorum princeps & antesignanus, derisor doctrinæ cœlestis, sceleratē in hoc ipso Propheta dicto negare & abolere nō est

VERIUS



veritus, inquit. Significari hac voce, non viuam illā & efficacem fidem, ostendentem se in obedientia erga Deum inchoata, Sed solam fidem mendicam precario petentem alienum beneficium. Ipse pontifex Romanus, vel vniuersi eius satellites si doctrinā Ecclesiarum nostrarum de sola fide iustificante vellent deridere, vix conaturos id esse fanna acerbior certissimum est.

Pergit prolixè de hac causa insectari Illyricum nominatim & alios.

Quòd Illyricus negarit, fidem veram sua natura facere fructus dignos pœnitentia, nunquā probabitur. Sed hoc verissimum est, quòd in sacris literis, & nostris Ecclesijs fides in iustificatione consideretur, non tanquam bonū opus, aut bonis operibus formata, sed tantum tanquam mendica quædam manus, vt & reuera est, tum quidē cum iustificationem mendicat, nuda & egena, productura autem post iustificationem & renouationem fructus conuenientes pœnitentiæ.

Cæterum observa diligenter hoc Antichristianū dogma Maioris, quòd vult tantū talē tantisq; ornamentis ornata ac comptam fidem ad Deum accedere, ac iustitiam & salutem impetrare, Observa etiam quòd inuocationem aut petitionem remissionis peccatorum profusè Papisticè censet pro magnis bonisq; Deo oblatis operibus, cū sit propriè misera quædam mendicitas, nec suas opes Deo offerat, sed ab eo gratuitam ablutionē à suis pessimis operibus, in magna sordium suarum foeditate iacens, mendicet. Nihil enim hoc aliud est, quàm merus Papatus ac doctrina tum desperationis contitis, tum confidentiæ & meriti securis.

Pergit prolixè & atrociter flagellare Illyricum, Nunquam autem dixit Illyricus, Fidem iustificantē non esse viuam fidem, sed negauit tunc propriè, cum primum iustificationem apprehendere & malam arborē hominis efficere bonam primum imputatione, deinde etiam inchoatione conatur, esse formatam charitate aut alijs virtutibus, Sed Papistæ  
liber.



libentissimè & promptissimè concedent Maiori tali fide hominem iustificari.

Verum in quarta Postillæ parte fol. 182. prorsus fidem iustificantem in renouationem & nouam obedientiam transformat, quæ fidei descriptio est ipsa Papistarum fide formata deterior. Verba eius hæc sunt.

Ad hanc vero mortificationem necesse est accedere & vitam & cōsolationē, vt mortificatio conformis sit Christo. Hæc viuificatio altera conuersionis pars est, fides scz, de qua dicitur, iustus fide sua viuet. Nam in hac consolatione, cum cor voce Euangelij erigitur, filius Dei etiam efficaciter viuificat cor, & dat Spiritum Sanctum, vt motus novos in corde, & vniuersam obedientiam accendat, iuxta dicta, Zachariæ .12. Effundam supra domum Dauid spiritum gratiæ, & precum. Item Rom. 8. Accepistis spiritum adoptionis filiorū, clamātem Abba pater. Gal. 3. Vt promissionem spiritus accipiamus per fidem. Huius fructus sunt, charitas, gaudiū, pax, patientia, benignitas, bonitas, lōganimitas, māfuetudo, fides, modestia, continentia, charitas, Gal, 5. Hæc Maior,

Vbi spiritali ebrietate obrurus, perinde incertus titubabat, errat & impingit, sicut passim alibi: Nam primum confundit vitam cum fide, cum fides sit propriè instrumentum, aut manus, Christum & vitam apprehendens. Ita isti homini idem est mendica manus apprehendens panem cœlestem, cū ipso pane: Sicut & supra aliquoties audiui eū docere, iustitiam ac salutem nostrā esse ipsam fidem, cum alijs virtutibus.

Porro cum sentiat fidem esse ipsam vitam, aut viuificationem, mox in impio sensu citat dictū, iustus sua fide viuet, tanquam si ipsa essentia, aut naturali, seu innata bonitate ac presentia fidei viueremus, non autem solū, quatenus ea apprehendit Christum, fontem iustitiæ ac vitæ. Qui proprie eius dicti sensus est.

L.

Poa



Postremo exponens, quid sit illa fides, aut viuificatio, docet esse vniuersam obedientiã à Spiritu Sancto excitatam. Sic & fides formata præclare statuitur, & vita nostra, quæ est ineffabile opus ac beneficium in nos, transfertur in nostram egenã & sordidam & mancam obedientiam.

Saltem considerasset dicta, quæ ipsemet ibidem citauit, vt illud Gal. 3. Vt promissionem Spiritus per fidem acciperemus. Mox ratiocinari potuisset, in illis dictis hanc seriem esse rerum expressam: primum esse fidem, deinde eã accipere promissionem iustificationis. Tertio accipere Spiritũ Sanctum. Quarto illum nos renouare, vnde postrema nostra obedientia profluat: Eoq; nullo modo idẽ esse posse fidem, quod totam renouationẽ, multominus, quod ipsam mutilam nostrã obedientiam aut bona opera.

Deniq; in suis commentarijs super Ephe. anno 1561 editis, fol. 70. disertè Papisticam definitionem aut descriptionem formatæ fidei cõprobat. Verba eius sunt hæc. Et apparet ex hoc loco Pauli, quid sit fides, videlicet, non modo notitia articularũ doctrinæ Christianæ, cui coniuncta sit spes & charitas, qua homo iustificetur & saluetur, vt contendunt aduersarij, sed & fiduciã misericordiæ promissæ propter mediatorem. Hic igitur clarè audimus comprobari definitionẽ formatæ Papistarum fidei, quod sit notitia, Spes & charitas, nisi quod illi Maior intuper addit fiduciam.

Quartus error Maioris in doctrina de fide est, quod eius fiduciã ac firmitatem, non ex sola verbi promissionis veritate deducit, sed etiam ex sensu ac experimẽto inhærentium virtutum & qualitate bonorum operũ, seu quod aliud fundamentum ac fontem fidei commonstrat, dum eam non vult ex solo verbi auditu deduci, Quod prorsus est super arenam edificare, inanem fiduciam, imò & impium idolum in corde suo fabricare. Nam Deus vult nos tantum sibi suoue verbo  
cre



credere. Et deniq; hoc idem somnium, innixum inherentibus virtutibus, securos in sua securitate, contritas vero & perterrefactas conscientias, in sua desperatione confirmat.

Quòd autem vult, nos fidere etiã charitate ac alijs bonis operibus, idq; in iudicio Dei, abundè supra est enumeratis eius dictis ostensum: Sed nunc addamus etiam plura eius testimonia, vnde apparebit, quàm inani fulcro humanarum cogitationum & bonorum operum velit suam fidem fulcire, & quàm sceleratè fidem & piorum conscientias, à verbo ad incertissimam rerum, aut virtutum nostrarum iudicia deducere conetur. Loca eius sunt in quarta parte Epistol. folio 8. Sic enim inquit.

Habemus autem fiduciam hanc certam & indubiã (scz perfectæ charitatis, de qua ex Iohanne agit) cum initia conuersionis lucere in nobis, & exerere sese veris fructibus incipiunt. Nam & conuersio sic ordinata est, vt exerat & ostendat se fructibus pœnitentię dignis, qui & à nobis ipsis & ab alijs sentiri ac conspici possunt: Verissimum enim est, quod inquit Augustinus, credens scit se credere, nec dubia est aut obscura conuersionis Meta, quã Paulus proponit dicens: Militate bonam militiam, retinere fidem & bonam conscientiam. In hac militia qui seruiant Deo, nō est difficile **DIUIDI CARE**. ideo inquit Iohannes: In hoc perfecta est charitas nobiscum, vt fiduciam in die iudicij habeamus, id est, **INITIA** conuersionis & fructuum eius certa sunt. Et aliquanto post.

Sed vt & **DEVM** & proximos diligant, vt odia iniustacabijciant, vt suæ cōuersionis **FRUCTVS CERTOS, TESTIMONIA** infallibilia etiam **FORIS** ostendant, nec existimetur conuerti hos in agone, aut conuersos esse, qui odijs aut alijs cupiditatibus iniustis flagrantes odia non deponunt, qui nulla signa foris ostendunt, se abieccisse animi acerbitatē ac virus, quo alios oderūt: Deniq; ne  
per loma.



somnium quidem nobis in mentem veniat, factã esse in corde conuersionem, aut vllam in eo existere, quæ se foris nõ ex-  
rat aut ostendat etiam, cum sit in agone & momento mortis.

Hic Rides pie lector, quò fiduciã salutis morientium & tentatorũ ac territorum ableget, nempe vt trutinent ac ponderent suas virtutes & earũ externos fructus, aut bona opera, & inde statuant, se conuersos esse & Deo placere. Sic nimirũ fides à sua vnica basi verbi ac promissionum Dei, ad humanas diuinationes & incerta vestigia conuersionis abducitur.

Atq; hoc non iam fides, sed tantum somnium fidei est, vt quæ non ex veracissimi verbi Dei auditu, sed ex vestigijs virtutum & ratiocinatiunculis proficiscitur. Huc igitur referatur illud celebre Augustini dictum: Quid ibi ageret fides vbi iam vides?

Vt vero eò certius hunc eius errorem perspicias & vanitatem huius Matheologi animaduertas, considera eiusdem menturã bonorum operũ, quibus fides iam tutò niti queat, tanquam quæ habeat iam sufficientem quantitatem necessariorum ad salutem æternam operum Verba eius, quibus istã mensuram fabricat, habentur in quarta parte Postillæ, folio 43. Ideo nõ est opus excusatione ac prætextu futili nimis magnã, arduam & impossibilem obedientiam præcipi, nec sciri posse, quando Deo satisfactum sit: Tunc, inquit Apostolus, obedientiam necessariam & præceptam præstas, tunc debitum Deo reddis ac satisfacis, cum in veris doloribus & sensu suæ iræ voce Euangelii & fide te sustentas & confirmas, cum promissionem tibi applicas, cum accedis ad Deum, & lætus cum inuocas, deniq; cum conscientiam sciens ac volens, atrocibus delictis non contaminas, quæ novos cruciatus in pectore & corde tuo exuscitent, postea cum his benefacis iuxta vocationem, qui viuunt tecum, qui eorundẽ bonorũ æternorũ tecum locij ac fratres tui sunt.

Hęc est dilectio illa & obedientia, quam à te requirit & postulat Deus, cumq; sentire hæc ac dijudicare in pectore ac

in vita



in vita tua possis, tanto maiore studio prouehere ac confir-  
mare ea studeto. Sicut vero hic quantitate cōtinua veluti vl-  
tis aut modijs metitus est sufficientiam operum ad salutem,  
ita in prima parte Epistolaris Postillæ discreta quantitate e-  
andem expendit. Locus est admodum prolixus fol. 162. quare  
tantum summam eum exponam.

Haec decē virtutes & bona, aliasq; plures affirmat esse  
ad salutem necessarias. 1. Agnitionem peccati & conuersionē  
ad Deum. 2. Fidem. 3. Confessionem. 4. Timorem Dei. 5. Amo-  
rem Dei. 6. Inuocationē. 7. Humilitatē. 8. Patientiam. 9. Spem.  
10. Dilectionē proximi: Quibus virtutibus enumeratis, con-  
cludens inquit:

Tales fructus (scz 10, quos enumerauit) renascentiæ,  
& alij similes, sunt & esse debent in omnibus renatis, siue in  
ultimo termino vitæ, aut quocunq; tempore renascantur.  
Et hæc bona opera &c.

Cuius posthac fides dubitare ac vacillare poterit, an sa-  
tis bonorum operum ad salutem habeat, cū Dominus Rabbi  
tam accuratè, tū continua, tum & discreta quantitate demē-  
sus sit, ponderauerit & numerauerit sufficientiam & neces-  
sarietatem bonorum operum ad salutem?

Verum illa duo adhuc sunt ei malè neglecta, de quibus  
monendus est, vt ea addat, quo sic suæ absolutissimæ Theo-  
logiæ summam manum colophonemq; imponat, nempe, vt  
reliquas illas virtutes, quas nūc reticuit recenseat: Deinde vt  
aliquanto exactius omnium virtutum aut bonorum operum  
ad salutem necessariorum magnitudinem, aut etiam pondus  
(neq; enim satis certò scimus, an modio, pertica, aut libra dis-  
cutienda sint) proponat, signet & demonstrat, ne vlla dubita-  
tione conscientia concuti queant, an satis bonorum operum  
ad salutem habeant.

Ah bone Deus, sis propitius Ecclesiæ tuæ, ac tuis pu-  
illis, arceatq; ab eis omnes seductores & distorta loquentes.  
Itane oportet piūq; est miseris conscientias ab inexhausto



fonte diuinę bonitatis & meriti Christi, & non conditionalium eius beneficiorum, ad tot conditiones nostrorum bonorum operum traducere?

Itane tutum salutareq; est pias mentes ab illa vnica & immota veritate vocis optimi illius pastoris, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, abducere ad ponderationem, considerationem & calculationem nostrarum virtutum & bonorum operum, vt inde ratiocinemur, diuinemus aut somniemus, an iam tantam sufficientiam bonorum operum habeamus, vt certo saluari queamus, aut nondum? Sed dicendum fit morti, vt paululum secedat, nobisq; det spacium, donec iustam quantitatem mensuramq; sufficientiam eorum expleuerimus.

Vltimus error Maioris sit hic in vera fide, quod cum eam ex libero arbitrio deducat, nostroq; intellectui & assensui tribuat, vt mox in libero arbitrio dicemus, necessario a vera natura ac essentia fidei ad humana signumeta ac somnia aberraret. Nec tamen negari potest, eum saepe contra ita fidem ex solo Dei dono deducere, vt prorsus videatur liberum arbitrium tollere. Verum solent impostores fluctuare in doctrina, vt modo hoc, modo illud dicant, non attendentes, neq; quid, neq; de quo affirmant.

### CONFUSIO LEGIS AC Euangelij.

Egem ac Euangelium foede confundit Maior in suis scriptis, multis modis. Primum quia tuetur definitionem auferentem Legi suum proprium, & Euangelio tribuentem, nempe praedicationem poenitentiae.

Secundo quia passim in suis scriptis citat Legalia dicta, de necessitate impletionis Legis, Si vis in vitam ingredi, serua mandata, Et Deus dabit unicuiq; secundum opera sua, & similia, eaq; ita in sua bona opera ad salutem necessaria trahit, vt nullam eius posse exceptionem addi ex Euangelio promittat, sed hoc debitum necessario praestandum, & huc Dei ordinem  
pro-



profus immutabilem & irremissibilem esse contendat.

Tertio confundit Legem cum Euangelio, dum & fidem formatam asserit & iustificationem nostram non in sola remissione peccatorum, aut gratuita iustitiae Christi imputatione, sed etiam in nostris virtutibus ac bonis operibus collocat. Nolo nunc alia indicia ac demonstrationes huius erroris ipsius recensere.

### LIBERVM ARBITRIVM.

**I**N capite de Libero arbitrio nolumus prolixius Maioris errores recensere, tantum ostendemus, quomodo in ipso principali capite, videlicet in synergia aut cooperatione Liberi arbitrij longissimè à veritate aberret, aut potius veritatem malitiose oppugnet.

Est vero simul operæ pretium consyderare in hoc ipso capite, quàm foede spiritu vertiginis circumferatur, & secum ipse extreme pugnet, non multò aliter, quàm qui in rabie actus, suas proprias carnes & membra dentibus lacerat & absumit. Tale autem exemplum iusti iudicij Dei & ipsorum vertiginis, etiam in parua confessiuncula de Libero arbitrio anno 1561 Electori exhibita, & vt palmarium quoddam scriptum per Germaniam ipsa vidimus.

In tertia igitur parte suæ Epistolaris Postillæ, penè in fine, agit de hoc doctrinæ capite, & grauissimè stomachatur ac debacchatur contra nos in causa liberi arbitrij, multa ac horrenda vociferans. Præcipue autem nos hoc nomine acculat, quòd cum Luthero negemus carnalem hominem quicquam spirituale in conuersione, suis viribus cooperari posse, sed potius pati tantum, vt lutum in manu figuli, Atq; adeò etiam sua natiua malitia repugnare DEO ANTE conuersionem, IN conuersione, & POST conuersionem (quod ad se quidem attinet) vsq; ad mortem. Quæ sententia alibi prolixius exposita asseritaq; est à nobis & Luthero, vt iam hic copiosius tractari non sit necesse.

Verum



Verū illud volupe est videre, quod victus euidenti rei  
veritate, mox initio ipsemet sententiam nostram amplissime  
comprobet & suā funditus euertat, vt paulo post ostendam.  
Nunc eius verba, in quibus hoc facit, adscribā, ac primū qui-  
dem ea, vbi magnitudinem malitiæ humanæ describit, deinde  
alia, vbi de modo conuersionis agit, inquit igitur.

Primo enim clarissimum est & manifestissimum veras  
esse & indubias tristissimas illas querelas Patrum, Prophe-  
tarum & Apostolorum, quæ passim in scriptis eorum recitan-  
tur, quales sunt Gen. 8. Figmentum cordis humani prauum  
est ab initio, Itē Psal. 51. Ecce in iniquitatibus conceptus sum,  
& in peccatis concepit me mater mea, Et Iere. 17. Peruersum  
est cor hominis super omnia & miserum & inscrutabile, Et  
Paulus Rom. 8. Sensus carnis inimicitia est aduersus Deum,  
nam legi Dei non subijcitur, nec subijci quidē potest. 1 Cor.  
2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Et  
Eph. 2. Etenim natura filij iræ sumus &c.

Has querelas omnes verissimas esse, sine vlla dubitati-  
one certum est. Natura enim hominum secundum se consy-  
derata, sine verbo & auxilio Dei. proli dolor talis est, & multo  
horribilior ac deformior, quā vel querelæ illæ exprime-  
re, vel omnium creaturarum sapientia cogitando assequi &  
comprehendere potest.

Hæc de magnitudine malitiæ humanæ ipsemet Maior  
confitetur. Iam eundem de modo conuersionis dicentem au-  
diamus.

Vt autem hi 3000. conuertuntur, & vel inchoatur in his  
conuersio à doloribus illis contritionis, de quibus toties iam  
dictum est, ita sciamus oportere conuerti omnes homines  
omni tempore, quia vna est vera & immota norma conuer-  
sionis omnium. Et quidē hæc ipsa in hoc exemplo & alijs con-  
uersorum omnium simpliciter & sine ambiguitate proposita.

Cūq; de modo ab omnibus disputetur, propterea quod  
cōuersio Dei opus esse dicitur, & quod multa mirabilia ope-  
ra fi-



ra fiât in homine immediate ab ipso Deo, præsertim talia, quæ conuersionis sunt propria. Cõsideremus ergò in hoc exẽplo nostro, quomodo dolores illi contritionis in homine fiant & existant, vt modus conuersionis intelligatur.

Ac ne perplexa sit aut intricata consideratio, fateamur primum omnium immensum Dei beneficium & opus esse hoc ipsum, & immediate ab ipso factũ, quòd parricidæ illi filij sui conuertuntur & saluantur.

Fateamur hoc quoq; fieri in hominibus multa admirabilissima opera immediate ab ipso Deo, quæ non sunt vllarũ virium aut effectuum humanarum, & in quibus efficiendis homines prorsus nihil agũt, sed tantum oblata à Deo amplectuntur & accipiunt, & sunt, vt nũc contendunt multi, tantũ subiecta patientia. Omnia enim hæc verissima & certissima sunt, & exemplis innumerabilibus ostẽsa: Vt est immediate opus Dei admirabilissimũ, pœna & conuersio Regis Nabuchodonosor, pœna Sennacherib, & liberatio Regis Ezechie, victoria Dauidis Deo formante & regente manum eius aduersus Goliath, & alia similia infinita. Hæc Maior.

Hic Christiane lector omnia ordine expende, Primum enim Maior testatur extremam malitiam, hostilitatem ac furorem nostræ corruptissimæ naturæ contra Deum, Et addit quòd, quatenus ea per sese, aut secundum sese consideretur, longè sit deterior, quàm vlla creatura vel cogitando cõsequi valeat.

Quid ergò de malitia hominis amplius dici aut etiam cogitari potest, quod non hic Maior largissimè secundũ Lutheri & nostram sententiã concedat. Nam & nos omnia quæ de perdita ac peruersa hominis natura, aut distorto libero arbitrio dicimus, expressè dicimus & intelligimus de ea, quatenus illa secundum SE SE consideratur, non quatenus iam renata, aut **VERBO AC SPIRITV DEI** renouata est.

M

Secun



Secundo asserit in hisce suis dictis Maior, omnium hominum esse eandem formam conuersionis. Item dicit Deum multa, præsertim ad conuersionem pertinentia, agere in homine purè passiuè, seu ut in subiecto mere patiente.

Tertio affirmat illos ter mille, immediate, seu ut ipse exponit, purè passiuè conuersos esse.

Postremo confitetur etiam nominatim Regem Nabuchodonosor conuersum esse purè passiuè, & alia complura huius generis, prorsus secundum nostram sententiam.

Iam considera pie lector, quomodo iste noster aduersarius & damnator sententiæ Lutheri, de purè passiuâ conuersione disserat, sic enim argumentabimur ex ipsius verbis contra eum.

Illi ter mille in Pentecoste, & Nabuchodonesor sunt conuersi à Deo immediate, seu (ut ipsemet suam vocem immediate exponit) tantum in subiecto patiente, aut pure passiuè.

Vna vero est omnium hominum conuersio, & omnes sic non aliter conuertuntur, sicut illi 3000 in Pentecoste, teste ipso Maiore.

Igitur omnes homines immediate, aut purè passiuè conuertuntur. An non hîc Maior clarè & expresse Lutheri pure passiuum comprobat, quod tamen sibi damnandum expugnandumq; desumpsit?

Accedit autem & illa confirmatio huius verissimi dogmatis, quod ipsemet disertè affirmat hisce verbis, quod multa ac mirabilia opera, præsertim talia quæ conuersionis sunt propria, fiant à Deo immediate in homine, seu (ut ipse se exponit) eo pure passiuè, aut tantum ut subiectum patiens existente. Quæ autem possunt esse alia ista opera, purè passiuæ conuersionis, quàm vera contritio & vera fides.

An non habemus hîc disertè & potenter confirmatam puram passionem Lutheri, ipsius Maioris proprio ore?

Scd



Sed non satis habet bonus vir concessisse puram passionem, asserit etiam repugnantiam, Audiuius enim eum supra planè extrema atq; adeo ineffabilia, de peruersione & malitia hominis aut liberi arbitrij, secundum sese cōsiderati, cōcedere & affirmare, quòd non tantum sit cōtempstor & acerbus hostis Dei, sed multo quoq; deterior quàm vlla creatura etiam angelica cogitari aut effari possit. An non hinc horrenda repugnantia ac hostilitas hominis contra Deum conceditur?

Scit enim Maior & omnes, qui vel primis labris Christianam religionem degustarunt, quòd cum de malitia hominis aut liberi arbitrij agitur, cōsideretur homo secundum sese: Non quatenus iam Spiritum Dei renatus & renouatus est, nec ille negare potest, nos, quoties de hac re differimus, ostendere, quòd loquamur de natura hominis carnalis, animalis, aut per sese cōsiderati.

Quare iste aduersarius, illa ipsa dogmata de purè passio deq; carnali homine aut libero arbitrio, perpetuo repugnante Deo, quæ sibi oppugnanda desumpsit, largissimè concedit, & asserit.

Verum huic conclusioni principalium capitū accedat & illud, coronidis vice, quod ipsemet Maior dicit, illos ter mille, fuisse non tantum securos & contemptores, sed etiā inimicos & hostes Dei? & quòd Deus cōcionante Petro potenter, & tanquam fulmine corda corū ferierit & perterrefecerit, ubi habes simul & puram passionem, & insuper hostilitatem humanæ malitiæ.

Nunc de quibusdam minus principalibus sententijs eodem loco positis agemus. Malitiose sophisticatur Maior, initio G g, ubi primum concedit hominem cōsideratum per sese esse deterrimum & Deo aduersissimum, sed postea adueniente filio Dei, & afferente verbum ac auxilium suum, & spiritum Sanctum, longe aliter cōsiderandum esse, & nō iam ita malū, vt nos sentiamus. Nā primū scit, nos, vt toties

M a dixit



diximus, agere de malitia naturalis aut carnalis hominis per  
se se cōsiderati, non quatenus verbo Dei iam renatus ac for-  
matus est.

Deinde nec id quidem clare vult exprimere, an loqua-  
tur de homine, quatenus iam accepit donū fidei, bonū velle  
ac posse, aut quatenus nondum accepit. Neq; enim satis est  
aduenisse Christum cum suo verbo & auxilio, nisi & in cor  
nostrum veniat. Nam donec foris stat, & nō excindit cor la-  
pideum ac dat nouum ac spirituale, nos nihilominus sumus  
caro, & per se se aut secundum se natura nostra cōsideranda  
venit.

Paulus iam erat conuersus, plenus spiritu & verbo, &  
tamen secundū se cōsideratur, & eatenus de se pronunciat  
quòd nihil sit boni in se, quòd repugnet legi Dei, quòd seruiat  
at peccato. Alia vero de se, quatenus renatus est dicit.

Sic & Maior & eius Synergistæ disertè distinguāt sub-  
iecta, & indicent de quo nā homine loquantur, si volunt syn-  
cere, Christiane ac sine sophistica disputare. Verum non pa-  
tiuntur se se in hacce angustias illi Prothei concludi, quòd libe-  
rius in omnes se se formas vertere queant, & tum auditorem  
intricent, tum & disputatorem eludant.

Cæterum cum videant se contra euidētem veritatem,  
in hoc quoq; capite non ita multum proficere, confingunt  
multa vanissima figmenta ac calumnias, quæ in nos conge-  
runt, vt vel mendacijs ac calumnijs nos obruant, cum causæ  
bonitate destituantur. Vt primò, quòd doceamus, quòd Dei  
us sit causa exitij hominum pereuntium, qui nō perinde om-  
nes ad se per verbum trahat. Nos enim contrā dicimus esse  
nostram tantum culpam, DEVM omnes in Baptismo con-  
uertere, sed multos sponte inde rursus deficere.

Quòd verbum DEI sit ita obscurum ac ambiguum, vt  
intelligi nequeat: Nos vero non verbi DEI obscuritatem,  
sed nostrorum oculorum cæcitatem accusauimus & accusa-  
mus.



Quòd doceamus Manichæum Enthusiasmum, quod ille nunquam probabit.

Quòd DEVS illos conuertat ad se, & illis SPIRITÙ SANCTÙ donet, qui perseuerent in suis furoribus, quod est falsissimum. Sonat enim hæc locutio de externis sceleribus, & de totius hominis effreni studio peccandi ac grassandi contra DEVM & eius Verbum. Nos vero loquimur de innata hominis malitia, quæ etiã in Sanctis vsq; ad mortem Deo aduersatur.

Similia complura, quæ nunquam docuimus, aut saltẽ somniauimus, nobis obijcit: Sed male sibi conscius nunquam locum scripti nostri, vbi talia contineantur, indicare audet.

Ex hisce cernis CHRISTIANE frater & animaduertis Maiorem perindẽ hîc, vt & in alijs doctrinæ capitibus tum foedissimẽ errare, tum multa crassissima mendacia de nobis confingere, tum deniq; spiritu vertiginis implicatum & intricatum, sibimet foedissimẽ contradicere, eaq; ipsa concedere ac confirmare, quæ sibi ex professo oppugnanda desumpsit.

Verum vt tandem scriptioni huic finem imponamus, eò redibimus, in quo perpetuò cor & cogitationes nostræ versantur & occupantur, nos testari verum ac viuentem Deum, quòd hisce litibus ac controuersijs nõ delectemur, sed toto pectore optemus eas ad aliquẽ piũ salutarẽq; finem deduci: Videmus etiã eas non adeo obscuras ac inexplicabiles esse, quin si recta ratione tractarentur, ad plenam cognitionem ac diiudicationem deduci haud difficulter possent, atq; ita facta cognitione controuersia errores ac scandala, (quibus pauci quidam ne uicti esse videantur, patrocinantur.) tollerentur & veritas conseruaretur.

Sunt vero vtilis quidem & à Deo ipso mandata errorum refutationes, quæ ore ex suggestu aut cathedra, & publicis scriptis fiunt: Sed disputationes, si modo legitime ac iuxta normam verbi Dei instituta fuerint, multas & eximias habent præ alijs confutationibus commoditates.



Nam primū iudici auditoriue prodest coram vtrunq;  
litigantem videre, audire, & eorum appositās rationes expē-  
dere.

Deinde in scriptione plerunq; id accidit, vt auditor aut  
lector, vel quisuis alius cognitor, tantum alterius partis scri-  
ta legat: Aut, etiamsi vtriūq; legat, tamen id tum demum fa-  
ciat, cū vel prorsus occupauit ac veluti fascinoit prius scri-  
tum eius animum & contra alteram partem inflāmauit, vel  
etiā cum iam illud prius planē memoria excidit, vt quomo-  
do posterioris solutiones ad prioris argumenta conueniant  
peruidere nequeat.

Tertio non cuiusuis est in toto aliquo plenoq; scripto  
capita, aut articulos controuersos, eorumq; fundamenta &  
rationes, contrariasq; obiectiones & solutiones vere exactèq;  
obseruare memoriaq; complecti, ea inter se conferre ac diju-  
dicare.

Quarto & inde ingens commodum accedit cognitori;  
quod vterq; disputator eum monet, vbi sit caput rei, vbi no-  
dus, omnisq; dubitatio hæreat, siue ratione totius cōtrouer-  
sæ, siue singulorum argumentorum, & vbi alter aliquid vel  
minus solidè probauerit, vel mali sophismatis aut impostu-  
ræ adhibuerit.

Quinto Stylus valde varios colores & stratagematas  
Rhetorica aliasq; imposturas recipit, quibus error ac falsitas  
ornari & palliari solet, quibus facilimè lectori, præsertim au-  
tem occupato vt sunt magnates alijs curis ac cogitationibus  
obrutis, imponitur.

Sexto in scribendo scriptor suo arbitrio agit, & in ad-  
uersarium ac ipsam causam incommodis aut etiā iniustis ra-  
tionibus grassatur: Inter alia autem malā causam agens nus-  
quam fermè non scopum controuersis peruertit, transfert,  
aut saltem inuoluit:

Septimo ipsi disputaiores nō parum modestius se ge-  
runt, ac disserunt in tali disceptatione, metu præsentis, le-  
gam



gum & aduersarij, ne ille protinus reprehendat, redarguat, ac  
illam, vt ita dicam, exorbitantiam in aduersarium coram illo  
honesto coetu retorqueat, eumq; malæ fraudis in facie conuictum,  
quasi suo gladio iugulet.

Octauo ipsa temporis breuitas & actio, ac sermo ex tē-  
pore factus & non concedens alterutri parti spacium excogi-  
tandi sophismata & elusiones, multum prodest inquisitioni  
veritatis.

Deniq; Cicero ait, se sæpe in suis orationibus ita reie-  
cto in tergum scuto fugere, vt alij minus oculati putent, eum  
strenue pugnare, hostem ferire & confodere. Id genus mali  
doli aut præstigiæ in tali disputatione, si Methodica est,  
& singula argumenta seorsim Dialectice excutiuntur, non  
proficit quicquam.

Hæc alijs hætenus à nobis publice & priuatim scriptis  
ac dictis de synodo, disputationibus & omni ratione dirimē-  
di præsentis controuersias, retinendi veritatem ac expurgā-  
di omnia fermenta errorum, corruptelarum, dissidiorum &  
aliorum scandalorum adijcere volumus, vt publicam utili-  
tatem, si fieri posset promoueremus, vel saltem si id omnino  
non succederet, coram Deo, Ecclesia & propria conscientia  
nosmet excusaremus.

Dominus Iesus, qui ad hoc ipsum cœlitus à patre mis-  
sus est, vt liberet Ecclesiam suam ab omni malo, & destruat  
opera Satanae, adsit nobis & omnibus pijs hoc tristi & vero  
aduersperante iam tempore, propter misericordiam & ve-  
ritatem suam, Amen.


M. FL. ILL. YR.

Ratisponæ excudebat Henricus Geisler.




























8

# ET NECES

MONITIO DE CAVEN-  
ASSIS, ET PLVSQVAM  
ICIS ERRORIBVS GEOR-  
GII MAIORIS.

HIC PLVRIMI, RECITA-  
VERBVM PROLIXIS EIVS  
cis, diferte commonstrantur  
ac refutantur.

NIC. GALLVS:

t Iohannes futurum post reuelationem  
christi, vt exurgat alia noua Bestia similis  
xterna specie agno, sed quæ loquatur vt  
oricet imaginem prioris Bestiæ, efficiatq;  
adorent . Noua hæc Bestia aliud nihil  
am seductores agnina pelle tectos, qui  
um priore Bestia, nouos vitulos ac nouas  
am doctrinæ genus Antichristiano simi-  
t, quod ipsa re fieri nunc experimur. Ve-  
liud Euangelium prædicauerit, vt inquit  
n nos prædicauimus, & vos accepistis,  
sue Maior, siue Minor, siue Angelus,  
is.

ANNO, M. D. LXII.

*Hobbs a. Junij 5. 1660  
vno 20. ianuarii*

